

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

Commentarii in materiam de peccatis

(1^a 2^{ae})*

[f.261v]

Ad articulum 6 et praecipue ad 8, quaestionis 74 Posterior disputatio de morosa delectatione

Dubitatur 1^o

Utrum delectatio morosa sit mortale peccatum

1^o, *certum est non esse mortale peccatum delectari de opere quod non est mortaliter malum, quamvis eiusmodi delectatio morosa sit, ut delectatio morosa de solo aspectu faciei pulchrae feminae.*

2^o, *certum est non esse mortale peccatum delectari de opere mortaliter malo cogitato, si delectatio sit sine plena deliberatione.*

Et de utroque genere delectationum quae oriuntur in appetitu sensitivo vel in voluntate, quando sint peccata venialia et quando non sint peccata, dictum est late a.3, dub.3 et 4 et sequentibus¹.

3^o, *peccatum mortale esse delectationem coniunctam cum desiderio operis turpis si detur potestas exsequendi, est de fide, Mt 5 [28] qui viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mechatus est eam in corde suo. Ubi ita docent Augustinus, Chrysostomus, Gregorius et alii Patres. Vide supra, art.2, initio².*

* Seguimos publicando el ms.582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1^a 2^{ae}, de Sto. Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq. 71, 72, 73, 74 (que ahora terminamos), 76, 88, 89.

¹ *ArchTeolGran*, 59(1996)205.

² *ArchTeolGran*, 59(1996)175.

4^o, *rursus, delectatio de cogitatione rei turpis aliquando non provenit quia delecteris de re cogitata sed quia delectaris de cogitatione ipsa*, et de hac delectatione dicitur dubio 3, nam in praesenti solum [f.262] quaeritur utrum delectatio de re turpi cogitata, sine proposito et consensu et desiderio illius, sit peccatum mortale.

Huiusmodi delectationem non esse peccatum mortale videtur sentire Lyra³, Mt 5, *qui viderit* etc. et ex antiquis ita docuerunt, ut constat apud D. Thomam, D. Bonaventuram, Alexandrum et alios infra citandos; et illis temporibus videtur fuisse probabilis opinio, ut constat ex modo quo illam reiiciunt Doctores; praesertim D. Bonaventura, q.2, d.24, p.2, a.2, q.2, post medium, ait oppositum non esse certum⁴. Tenet hanc sententiam Martinus de Magistris apud Caietanum 2.2, q.154, a.4⁵, et fertur Victoria dixisse illam esse probabilem, quod etiam dixit Corduba, 1.1, q.23, dubio 11, § *Igitur*, sed non est probabile, ut dicemus infra.

Pro hac sententia arguitur 1^o ex Augustino, 12 De Trinitate, cap.12⁶, dicente talem delectationem esse peccatum longe minus quam si statuatur opere implendum, et ideo de talibus, inquit, cogitationibus venia petenda est pectusque percutiendum atque dicendum dimitte nobis debita nostra; constat autem tunctionem pectoris et orationem dominicam esse remedia venialium peccatorum.

2^o, quia consentire in delectatione pertinet ad solam rationem inferiorem at vero peccatum mortale esse non potest sine consensu superioris rationis.

³ *Biblia Sacra cum Glossa ordinaria (Postillae Nicolai de Lyra)*, Génesis c.3: Bruselas 1616, col.98.

⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.581b 582a.

⁵ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.154, a.4: ed. Leon. 10, 226a, 228a.

⁶ AUGUSTINUS, *De Trinitate Libri XV*, 1.12, c.12: CCL 50 372; PL 42 1008.

3°, delectationes differunt in bonitate et malitia secundum differentiam operationum, ex Aristotele, 10 Ethicorum, cap. 3, 4 et 5⁷; sed cogitatio rei turpis bona est, siquidem Deus etiam cognoscit res turpes; ergo delectatio quae ex tali cogitatione consequitur sine desiderio operis erit bona.

4°, qui delectatur in coitu cogitato delectatur in re bona, siquidem totum illud reperitur in actu matrimonii et non est peccatum, et non propterea delectatur in illa circumstantia quam non vult, scilicet quod sit accessus ad alienam; ergo si cogitet quis de femina non determinando utrum sit sua vel aliena et inde delectatur, non peccat mortaliter.

5°, quia Deus pronior est ad miserendum quam ad puniendum; sed ad meritum non [f.262v] sufficit delectatio operis praecepti, sed requiritur eius expletio; ergo ad demerendum non sufficit delectatio operis prohibiti sine desiderio illius.

CONCLUSIO. *Delectatio morosa est peccatum mortale si sequitur ex cogitatione operis mortaliter mali et non ratione cogitationis praecise sed etiam ratione rei cogitatae; ideoque quamvis sit cum proposito non exsequendi opus illud.*

Haec conclusio iam est recepta communi Doctorum consensu et tam solidis fundamentis nititur ut oppositum sit plus quam temerarium. Illam docent D. Augustinus, 12 De Trinitate, cap. 12⁸, his verbis: *totus homo damnabitur nisi haec quae sine voluntate operandi sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata per mediatoris gratiam remittantur*; nullus autem damnatur nisi ratione peccati mortalis. Et Gregorius, 21 Moralium, cap.3⁹, *cogitatio, inquit, immunda non coinquinat cum pulsat sed cum mentem per delectationem subiugat*, et propterea dictum existimat pepigi

⁷ ARISTOTELES, *Ethicorum ad Nicomachum liber decimus*, cap.3,4,5: Operum t.2, Lugduni 1549, col.731-735.

⁸ AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l.12, c.12: CCL 50 373; PL 42 1008.

⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.21, c.3: Opera, Antverpiae, 1572, p.136a.

foedus cum oculis meis ne cogitarem de virgine, et illud 1Cor 10 [13] *tentatio vos non apprehendat nisi humana*, scilicet quae est sine ullo consensu in opus et in delectationem. Idem docet D. Bernardus, *De interiori domo*, cap. 40, et favet cap. 15¹⁰; et D. Hieronymus, Mt 5, [28] *qui viderit mulierem ad concupiscendum* etc¹¹, explicat de interno actu nolentis exsequi; et Isidorus, relatus 32, q. 7; Hilarius, canone III in cap. 5 Mt¹², ubi Chrysostomus, homilia 17¹³, et communiter interpretes ibi indicant praesentem conclusionem dum concupiscentiam mortalem sine proposito exsequendi distinguunt ab actu efficaci; et Interlinealis, in id Iacobi 1 [15] *concupiscentia cum conceperit parit peccatum*, explicat cum conceperit delectando vel consentiendo parit peccatum, id est, perducit ad actum manifeste et in id Iob 31 [1] *pepigi foedus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine*, addit cum consensu delectationis.

Hanc conclusionem docuit expresse Magister, 2, d. 24, et ab illo coepisse videtur nomen *morosae delectationis*, nam dixit non esse mortale peccatum nisi quando in delectatione cogitationis diu tenet peccatum¹⁴. Hanc tamen moram omnes scholastici explicant intelligendam esse moram consensus, non vero moram temporis; tem- [f. 263] -pus enim non sufficit ut veniale peccatum evadat mortale, ut constat ex dictis q. 88, a. 5¹⁵, nam in peccato mortali opus est anteponi creaturam creatori et simpliciter imputari peccatum ad quod non sufficit solus lapsus temporis. Nihilominus diuturnitas temporis indicium est plenae deliberatio-

¹⁰ BERNARDUS CLARAEVALLENSIS, *De interiori domo, id est conscientia aedificanda, tractatus utilis*, c. 40: Lyon, 1546, fol. 306a (repete la expresión anterior de S. Gregorio Magno); c. 15: *ibid.* fol. 302d.

¹¹ HIERONYMUS, *Commentarii in Evangelium Matthaei*, 5, 28: PL 26, 9.

¹² HILARIUS PICTAVORUM EPISCOPUS, *In Matthaeum commentarius*: Basilea 1550, p. 351.

¹³ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in Matthaeum*, Hom. 17: PG 57 255s.

¹⁴ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d. 24, c. 12: ed. Quaracchi 1916, t. 1, p. 425.

¹⁵ *Arch. Teol. Gran.*, 55(1992)247s.

nis et consensus saltem interpretativi et ideo delectatio deliberata a signo appellata est morosa.

Conclusionem ita explicatam docet D. Thomas, q.74, a.6, fine, et a.8c¹⁶ ut communiorem sui temporis, et De veritate, q.15, a.4¹⁷. Altissiodorensis, lib.2, tract.28, cap.2, q.3 versus finem¹⁸; Alexander, 2 p., q.125, mem.11¹⁹; et, ex Praepositino et aliis antiquis, D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 5²⁰; Albertus, apud Cartusianum, infra; Henricus, quodlibeto 6, q. 32²¹; Vincentius in Speculo, lib.3, p.2, d.3, a.8; Scotus, 2, d.42, q.1, § *Sequitur* 2^{um}22. Communiter Scholastici, 2, d.24, ubi D. Bonaventura, in expositione litterae n° 50 et p.2 distinctionis a.2, q.2²³; Ricardus, a.4, q.4c et ad 2²⁴; Cartusianus, q.6, col.9²⁵; Aegydius, p.2 eiusdem distinctionis, q.2, a.2²⁶; Durandus, q.6²⁷; Gabriel, q. unica, fine²⁸; Friburgo in Summa

¹⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2, q.74, a.6 y 8c: ed.leon. 7,41 y 43.

¹⁷ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4: ed.Vivès t.15, 57.

¹⁸ GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Aurea... in Quattuor Sententiarum*, lib.2, tract.28, cap.2, q.3: Paris (ed. Franciscus Reginaldus), fol. 99b. (s.d., letra gótica).

¹⁹ ALEXANDER DE ALES, O.M., *Summa Theologica*, pars II, q.125, mem.11: Lyon 1516, fol.275.

²⁰ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, c.1, § 5 : Lyon, t.2 (1529), f.107.

²¹ HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, quodl.6, q.32: Paris 1518, fol.252.

²² IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.42, q.2: Venecia 1617 (t.2) p.792s.

²³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.581b.

²⁴ RICARDUS DE MEDIA VILLA, O.M.C., *Super quartum librum Sententiarum*, d.24, a.4, q.4 et ad 2: Brixiae 1591, t.2, p.318.

²⁵ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.24, q.6: Venecia 1584, p.442a.

²⁶ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum*, dist.24, pars II, q.2, a.2: Venecia 1581, p.284a.

²⁷ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.6: Amberes 1566, fol. 173d.

²⁸ GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, q.unica: Tubinga 1977, 2, p.478.

confessorum, lib.3, tit.34, q.271; Gerson, *Alphabeto* 29 lit. 1, *Quando luxuria sit peccatum mortale*²⁹; Caietanus, verbo *delectatio*³⁰, et in hac q.74, a.8³¹, ubi Conradus³² et alii discipuli D. Thomae atque etiam in a.6.

Sylvester, *Delectatio*, q.2, particula 4³³; Armilla, *Delectatio*, n^o2³⁴; Angelus, *Cogitatio*, n^o2; Adrianus, q.4 De Eucharistia quae dicit *Quia dictum est quod somnos*³⁵; Viguierius, cap.3, § 3, versic.4, pag.37³⁶; Soto, d.12, q.1, a.7, conclusione³⁷; Petrus de Soto, lect. 9 de discrimine peccatorum³⁸; Ledesma, l.4, q.21, a.7, conclusione 9; Navarrus in manuali, cap.11, n^o 9 et cap.16, n.9³⁹; Valentia, 1.2., disp.6, q.4, puncto 3⁴⁰, et quam plurimi alii iuniores.

²⁹ I. GERSON, *De septem vitiis capitalibus*, Quando luxuria sit peccatum: Opera, t.2, Paris 1606, col.176.

³⁰ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" : Lugduni 1529.

³¹ THOMAS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.8: ed.leon. 7,44.

³² CONRADUS KOELLIN, *Expositio commentaria in Primam Secundae A.D. S. Thomae Aquinatis*, q.74, a.8: Venecia 1589, p.572a.

³³ *Summa Sylvestrina, quae Summa Summarum merito nuncupatur...* a R.P. SYLVESTRO PRIORATE,...O.P., *Delectatio*, 2: Lyon 1593, parte I, p.238a.

³⁴ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111r.

³⁵ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, § Quia dictum est: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.32v.

³⁶ IOANNES VIGUERIIUS, GRANATENSIS, O.P., *Institutiones ad christianam Theologiam...*, cap.3, § 3, versic.4: Antverpiae 1565, fol.34v.

³⁷ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, p.557.

³⁸ PETRUS DE SOTO, O.P., *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum, lect.9: Amberes 1566, fol.352.

³⁹ M. DE AZPILCUETA, NAVARRO, *Manual de confessores y penitentes*, c.11, n.9 y c.16, n.9: Salamanca 1557, p.64 y 165.

⁴⁰ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, 1.2, disp.6, q.4, puncto 3: Lyon 1603, t.2, col.573s.

PROBAT D.Thomas efficaciter a priori, quia quicumque delectatur de fornicatione cogitata amat fornicationem cogitatam: ergo qui consentit in talem delectationem consentit in amorem fornicationis; sed amor fornicationis est peccatum mortale, quamvis non includatur propositum exsequendi; ergo consensus in delectationem est peccatum mortale. — Maiorem [f.263v] PROBAT D.Thomas quia nullus delectatur nisi de re conformi suo appetitui; ergo non delectatur nisi de re quam amat; haec enim conformatio fit per amorem. — CONFIRMATUR 1^o, quia delectatio nihil aliud est quam quies appetitus in aliquo bono amato, ut docet D.Thomas supra, q.34, a.1, corpore⁴¹; ergo nisi ametur fornicatio non delectabitur appetitus de illa. — CONFIRMATUR 2^o, quia licet talis delectatio et amor fornicationis recipiatur in appetitu sensitivo, tamen consensus in illam recipitur in voluntate, unde voluntas mediate amat et approbat fornicationem, quia vult illam amari ab appetitu et in illa requiescere per delectationem. Vide D.Thoma, De veritate, q.15, a.4⁴².

RESPONDEBIT aliquis: eiusmodi delectatio supponit amorem fornicationis non ut in re exsequenda est fornicatio sed ut cogitata est, et ut sic, non est mala. SED CONTRA, quia quamvis haec delectatio non supponat amorem seu desiderium exsequendi fornicationem nihilominus supponit amorem et complacentiam ipsius fornicationis ut in se est possibilis secundum naturam abstrahendo ab exsequutione futura; alias delectatio nascetur praecise ex cogitatione quia cogitatio est quod non est peccatum ut dicitur in dubio 3. — CONFIRMATUR, quia cognitio illius fornicationis tantum est applicatio obiecti sed obiectum quod delectat et amatur non est cognitio sed fornicatio, ut supponitur in casu.

2^o PROBATUR, quia eiusdem rationis sunt operatio et eius delectatio quantum ad bonitatem vel malitiam, ex Aristotele, 10 Ethicorum, cap. 3 et 5⁴³; sed fornicatio est mala operatio; ergo

⁴¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2, q.34, a.1c : ed.leon. 6,235b.

⁴² THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4: ed.Vivès t.15, 54.

⁴³ ARISTOTELES, *Ethicorum ad Nicomachum liber decimus*, cap.3,5:

delectari de illa cogitata quasi praesenti erit malum sicut delectari de ipsa fornicatione actu existente. — CONFIRMATUR, quia simili cogitatione saepe eodem modo moventur spiritus vitales et humores per corpus ut si aliquis exsequeretur fornicationem quod indicium est delectationem provenire ex fornicatione cogitata et amata ac si esset praesens praesertim cum propter nimiam huius affectus vehementiam ita repraesentetur saepe ut fere videatur esse praesens.

3^o PROBATUR, quia consensus in delectationem turpem habet satis proximum et intrinsecum periculum consentiendi in opus si detur potestas illius, ut docet D.Thomas, De veritate, q.15, a.4c⁴⁴.

Ex his COLLIGITUR 1^o, quo praecepto prohibita sit delectatio morosa; prohibetur [f.264] enim eodem praecepto quo prohibetur actus mortaliter malus qui est obiectum delectationis sicque delectatio morosa de fornicatione prohibetur 6^o praecepto decalogi, ut recte D.Thomas, 15 De veritate, a.4 ad 9⁴⁵, et delectatio morosa de homicidio cogitato prohibetur praecepto *non occides*, et sic de aliis.

COLLIGITUR 2^o, eiusmodi delectationem esse intrinsece malam et naturali praecepto prohibitam quando actus qui est obiectum illius prohibetur naturali praecepto.

COLLIGITUR 3^o, in confessione esse necessario explicandas omnes circumstantias morosae delectationis quae explicandae fuissent si consummatum fuisset opus, v.gr. si delectatio morosa fuerit de fornicatione explicandum est utrum de re habenda cum virgine vel cum moniali vel consanguinea vel coniugata etc.; si delectatio fuit de homicidio explicare oportet utrum de occidendo patre vel clerico etc.

Angelus, *luxuria*, n^o 2, iudicat probabilius oppositum, quia omnis complacentia est contra idem praeceptum, scilicet *non*

Operum t.2, Lugduni 1549, col.731-732; 734-735.

⁴⁴ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4: ed.Vivès t.15, 57.

⁴⁵ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4 ad 9: ed.Vivès t.15, 58.

concupisces. — Hoc argumentum est nullius momenti; alioqui probat omnia opera luxuriae esse eiusdem speciei quia sunt contra idem praeceptum *non moechaberis*, et sicut hoc praeceptum, quamvis sit in verbis unum sed quantum ad honestates praeceptas est multiplex, ita etiam illud praeceptum *non concupisces*; quapropter Angeli dictum appellatur stultum a Sylvestre, *luxuria*, q.2 et 3⁴⁶.

Nostra autem sententia efficaciter PROBATUR, quia delectatio morosa versatur circa idem obiectum circa quod voluntas efficax et circa easdem circumstantias; et propterea speciem sortitur ab illis; ut bene Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 6 et 10⁴⁷; Caietanus, 2.2., q.154, a.4⁴⁸; Sylvester, *delectatio*⁴⁹; Navarrus, cap. 16, n.2 et 9⁵⁰; Alcocer, in Summa, cap.20, fol.74⁵¹.

CONFIRMATUR, quia si una circumstantia mala, separata ab aliis esset obiectum delectationis morosae illa conferret actui malitiam sibi correspondentem intra speciem propriam; ergo eandem malitiam conferret quando simul cum aliis circumstantiis placet.

Ad 1 RESPONDET D.Thomas, a.8, fine, etiam de peccatis mortalibus peti a Deo veniam tunctione pectoris et oratione dominica; mens autem D.Augustini constat ex verbis eiusdem in eodem loco quae adlata sunt pro conclusione.

Ad 2 RESPONDEO ex superiori disputatione, dubio 2, argumento 5⁵², consensus in delectationem pertinet [f.264v] non

⁴⁶ *Summa Sylvestrina*, Luxuria, 2 y 3: Lyon 1593, parte II, p.162b, 163a.

⁴⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, c.6, c.10 : Lyon, t.2 (1529), f.107bc, f.108c.

⁴⁸ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.154, a.4: ed.leon. 10,226b.

⁴⁹ *Summa Sylvestrina*, Delectatio: Lyon 1593, parte I, p.238a.

⁵⁰ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.2.9: Venecia, 1584, p.286.292s.

⁵¹ FR. FRANCISCO DE ALCOCER, O.M.O., *Confessionario breve*, cap.20, Del sexto mandamiento: Córdoba 1592, fol.78.

⁵² *Archivo Teológico Granadino*, 59(1966)246.

solum ad inferiorem sed etiam ad superiorem rationem quod attinet ad rei veritatem quamvis per congruam accommodationem tribuatur inferiori rationi.

3^{um} argumentum recte PROBAT non esse peccatum delectationem quae ex cogitatione rei turpis nascitur praecise quatenus cogitatio aut cognitio rei est, ut dicetur in dubio sequenti sed NON PROBAT licere delectationem cuius obiectum est res cogitata.

Ad 4^{um} RESPONDEO: illa praecisio fieri non potest in delectatione appetitus, licet fiat in delectatione voluntatis, de quo infra, dubio 11.

Ad 5^{um} RESPONDET D.Thomas, De veritate, q.15, a.4 ad 13⁵³, negando consequentiam, quia bonum ex integra causa malum autem ex singulari defectu.

Dubitatur 2^o

Ad quae vitia et ad quos affectus pertineat doctrina dubii praecedentis

Ex dictis colligitur non solum in luxuria sed etiam in aliis omnibus peccatis esse peccatum mortale delectari de peccato mortali cogitato. Ita D.Thomas, q.74, a.8 ad 5; D.Bonaventura, d.24, in expositione litterae, n^o 53⁵⁴; D.Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 5⁵⁵; Scotus, 2, d.32[42], q.1, § *Sequitur* 2^{um}⁵⁶; Angelus, *cogitatio*, n^o 2; Sylvester, *delectatio*, n^o 2⁵⁷; Caietanus, Conradus in D.Thoma citato; et Caietanum, verbo *delectatio*, initio⁵⁸, ubi Armilla⁵⁹; Adrianus, q.4 De Eucharistia

⁵³ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4 ad 13: ed.Vivès t.15, 59.

⁵⁴ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.3, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.587a.

⁵⁵ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, c.1, § 5: Lyon, t.2 (1529), f.107b.

⁵⁶ IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.42, q.2: Venecia 1617 (t.2) p.792s.

⁵⁷ *Summa Sylvestrina*, *Delectatio*, 2: Lyon 1593, parte I, p.238a.

⁵⁸ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529.

quae incipit *Quia dictum est*⁶⁰; Navarrus, cap.11 Manualis, n^o9 et cap.16, n^o 2⁶¹; Petrus Soto, De discrimine peccatorum, lect.9⁶²; et alii ex citatis in dubio precedentii.

PROBATUR quia illae rationes quae in dubio praecedenti probant mortalem malitiam delectationis morosae in luxuria eandem vim retinent in reliquis peccatis, quamvis Doctores communiter ea quae de morosa delectatione disputant potius luxuriae quam aliis peccatis applicent quia frequentius contingit morosa delectatio in luxuria eo quod vehementior sit inclinatio ad illam.

Sed pro EXPLICATIONE nota 1^o praedictam doctrinam esse universaliter et sine limitatione veram in his peccatis quae habent ab intrinseco malitiam, in aliis vero rebus quae non sunt malae nisi quia prohibita contingit delectatio morosa quae non sit mala, ut latius explicabitur in dubio 11.

2^o notandum est aliquam peculiarem turpitudinem esse in delectatione morosa [f.265] luxuriae quae non est in aliis peccatis, scilicet quia illam comitatur commotio seminis et specierum vitalium subservientium generationi, quae est veluti quaedam inchoata pollutio, unde delectatio concubitus cogitati habet adiunctam inchoatam exsequutionem illius quae non reperitur in aliis peccatis.

3^o nota in luxuria saepe existimari mortalem culpam eam delectationem quae vere non est mortalis, e contra vero in aliis peccatis saepe existimatur licere delectatio quae est mortale

⁵⁹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111.

⁶⁰ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, § Quia dictum est: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.32v.

⁶¹ M. DE AZPILCUETA NAVARRO, *Manual de confesores y penitentes*, c.11, n.9; c.16, n.2: Venecia, 1584, p.62s y 159.

⁶² PETRUS DE SOTO, O.P., *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum, lect.9: Amberes 1566, fol.352.

peccatum; quod provenit quia communiter homines non suspicantur delectationis culpam nisi in materia luxuriae in qua est frequentior. Ita D. Bonaventura, 2, d. 24, in expositione litterarum, n° 53⁶³; et Caietanus, q. 74, a. 8, circa ad 5⁶⁴.

4° exempla delectationis morosae in variis vitiis haec esse possunt cum accepta iniuria delectaris cogitando tuum inimicum quasi contumeliis affectum aut conculcatum aut percusum a te vel a tuo famulo vel consanguineo vel ab alio vel quando legis iniusta bella sive vera sive ficta et delectaris de illis non propter artificium solum sed quia placent opera iniusta et crudelia. Sic enim D. Thomas, Augustinus, ut immanem crudelitatem vituperat voluptatem videndi spectacula gladiatorum, 6° Confessionum, cap. 8⁶⁵, cui atrocitati persimilis est qua delectantur illi quibus duelli aut agitationes taurorum frigidae videntur et insulsae nisi humano sanguine condiantur, quae delectatio, ex natura rei est peccatum mortale. De quo non est in praesenti disputandum: vide Joannes Gutierrez in Quaestionibus Canonicis, cap. 7⁶⁶, late et sapienter de hac re tractantem. Simile peccatum delectationis est detrahentes audire cum gaudio.

5° sequitur ex dictis, esse peccatum veniale delectari de quocumque peccato veniali cogitato. Ita docent communiter citati.

6° sequitur, non solum in delectatione sed etiam in aliis actibus voluntatis et appetitus esse peccatum mortale si amplectantur obiectum turpe quamvis absit propositum exsequendi, idque colligi potest ex amore et odio a quibus nascuntur et hac ratione tristitia de alienis bonis est peccatum mortale sive odii sive invidiae, quia nascitur ex odio alterius vel ex displicentia alienae

⁶³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d. 24, p. 2, a. 3, q. 2: Quaracchi, t. 2 (1885), p. 587a.

⁶⁴ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 1. 2., q. 74, a. 5: ed. leon. 7, 44.

⁶⁵ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, 1. 6, c. 6, n. 8: CCL 27 82; PL 32 726.

⁶⁶ IOANNES GUTIERREZ, *Canonicarum Quaestionum*, q. 7: Lyon, t. 4, 1730, pp. 46-55.

excellētia. Similiter spes videndi alium in misera sorte et metus prosperitatis tui inimici, vide Adrianum, loco citato in principio huius dubii.

[f.265v]

Dubitatur 3^o

Utrum sit peccatum mortale delectari de consideratione alicuius rei quae est mortale peccatum vel de mirabili arte peccandi

1. CONCLUSIO CERTA: *si delectatio oriatur solummodo ex cogitatione et non ex re cogitata non erit peccatum mortale sed quandoque erit veniale si otiosa sit cogitatio aut curiosa, quandoque erit actus virtutis si honestum finem habeat.* Ita D.Thomas hic, a.8, corpore et De veritate, q.15, a.4, corpore⁶⁷; D.Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 5⁶⁸; Vincentius, in Speculo, lib.3, p.2, d.3, a.8; Durandus, 2, d.24, q.6⁶⁹; Scotus, 2, d.42, q.1, § *Sequitur* 2^{o70}; Gabriel, d.15, q.13, a.3, dub.3⁷¹; Gerson, Alphabeto 29 prope initium, versic. *Si vero*⁷²; Angelus, *cogitatio*, n^o 2; Sylvester, *delectatio*, q.2, dicto 3⁷³; Caietanus et Conradus in hoc a.8⁷⁴, et Caietanus, verbo *delectatio*, versic. *rursus*⁷⁵; ubi Armilla⁷⁶; Adrianus in 4, de Eucharistia, q.2, §

⁶⁷ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4 c: ed.Vivès t.15, 57b.

⁶⁸ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, c.1, § 5: Lyon, t.2 (1529), f.107b.

⁶⁹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.6, n.6: Amberes 1566, fol. 174a.

⁷⁰ IOANNES DUNS SCOTUS, *In librum secundum Sententiarum*, d.42, q.2: Venecia 1617 (t.2) p.794.

⁷¹ GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, q.15, a.3, dub.3: Tubinga 1977, 4/2, p.309s.

⁷² I. GERSON, *Compendium Theologiae*, De natura delectationis et an sit peccatum: Opera, t.2, Paris 1606, col.213.

⁷³ *Summa Sylvestrina*, Delectatio, 2, dicto 3: Lyon 1593, parte I, p.238b.

⁷⁴ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 1.2., q.74, a.8: ed.leon. 7,44; CONRADUS KOELLIN, *In Primam Secundae*, q.74, a.8: Venecia 1589, p.574a.

⁷⁵ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529.

*Circa haec adverte*⁷⁷; Tavierna, *delectatio*, n° 2 et 4; Petrus de Soto, De institutione sacerdotum, tract. *De peccatis*, lect.9 sub finem⁷⁸; Viguerius, cap.3, § 5, versic.4, fol.37⁷⁹; Medina, in praecedenti a.6 quaestionis.74⁸⁰; Corduba, lib.1, q.23, dub.11, initio; Alcocer in Summa, cap.6 doctrinae 4, fol.24. — Dixi de cogitatione solum quia licet delectatio oriatur ex cogitatione, si tamen simul oritur ex re cogitata, inde malitiam sortitur.

PROBAT D.Thomas commutatis eisdem rationibus quibus usus est in conclusione praecedentis dubii, quia delectatio sequitur amorem illius rei in qua delectamur sed amor cogitationis seu considerationis rei quantumcumque malae non est malus si non propterea amatur cogitatio quia amatur res cogitata; ergo tunc non erit mala delectatio cogitationis. — CONFIRMATUR 1°, quia Deus cognoscit semper omnes res malas et delectatur de tali cogitatione. — CONFIRMATUR 2°, quia delectamur de cognitione nostrorum peccatorum quamvis gravissima fuerint ad illa explicanda in confessione, et non peccamus. — CONFIRMATUR 3°, quia saepe in hac materia delectati sumus cognoscendo rationem peccati mortalis non solum in communi sed etiam in particulari, et tamen non propterea peccamus.

PROBAT 2°, quia delectatio consequens bonam operationem bona est ex Aristotele, 10 Ethicorum, cap.3 et 5⁸¹; sed bona est operatio intellectus considerantis malum ut dictum est supra art.5,

⁷⁶ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111.

⁷⁷ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quantum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, Q. *Quia dictum est*, § Et circa haec adverte: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.33b.

⁷⁸ PETRUS DE SOTO, O.P., *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum, lect.9: Amberes 1566, fol.354.

⁷⁹ IOANNES VIGUERUS, GRANATENSIS, O.P., *Institutiones ad christianam Theologiam...*, cap.3, § 5, versic.4: Antverpiae 1565, fol.38v.

⁸⁰ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6: Venecia 1602, p.390s.

⁸¹ ARISTOTELES, *Ethicorum ad Nicomachum liber decimus*, cap.3,5: Operum t.2, Lugduni 1549, col.731-732; 734-735.

dubio 3; ergo bona est delectatio de illa. — CONFIRMATUR ET EXPLICATUR haec ratio, quia omnium humanorum [f.266] actuum bonitas et malitia sumitur ab obiecto, sed obiectum huius delectationis quam ponimus est sola consideratio intellectus et non delectatio sensibilis quae est in fornicatione cogitata; ergo talis delectatio licet. — CONFIRMATUR, quia cogitatio ut sic versatur circa verum ut verum; ergo licet res cogitata mala sit in ordine ad appetitum, si tamen delectatio versetur solum circa veritatem et cognoscibilitatem rei et veritatem intellectus, non erit mala.

OBSERVA tamen, per accidens non licere aliquando delectationem de consideratione rei malae si inde imminet periculum delectationis de ipsa re mala, ut bene D.Thomas, De veritate, Angelus et Sylvester citati, quod dictum sit pro sequentibus dubiis.

Si autem PETAS quibus indiciis dicernamus utrum delectatio sit de sola cogitatione vel sit etiam de re cogitata. RESPONDEO 1^{um}: signum est quod indicat D.Thomas hic, a.8, et clarius explicat Conradus ibi⁸² et Durandus, 2, d.24, q.6⁸³: qui non reflectitur supra cogitationem et non cogitat se cogitare, non delectatur de cogitatione sed de re cogitata. PROBATUR quia nihil amari potest nisi cognitum; ergo in nullo quiescere potest voluntas per delectationem tanquam in bono amato nisi cognitum sit.

OBSERVANDUM tamen est e converso non esse idem signum. Nec enim quoties suam cogitationem [cogitat] delectatur de cogitatione et licet delectetur de cogitatione saepe non delectatur de illa sola.

2^{um} signum: commotio et alteratio corporis evidens indicium est delectationem oriri ex re turpi cogitata, quia non potest aestimativa cognoscere cogitationem et licet cognoscat non delectabitur de illa appetitus et licet delectaretur non ita commoveretur

⁸² CONRADUS KOELLIN, *In Primam Secundae*, q.74, a.8: Venecia 1589, p.574.

⁸³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.6, n.6: Amberes 1566, fol. 174a.

corpus nisi delectatio esset etiam de obiecto turpi, unde si aliquis expresse velit talem delectationem peccabit mortaliter, si autem illam toleret quia delectetur de cognitione intellectus, ut infra, dubio 8.

3^{um} signum: praecipue considerandus est affectus cogitantis rem turpem, ut notat D.Thomas hoc art.8, Angelus, Sylvester, Caietanus, Petrus de Soto et alii citati. Quare si ad permanendum in cogitatione et eius delectatione movetur ex honesto motivo, ut docendi, audiendi confessiones vel curandi, signum erit delectationem oriri ex sola cogitatione et quamvis in appetitu sensitivo oriatur delectatio [f.266v] etiam ex re cogitata signum erit illam non approbari a ratione sed tantum permitti propter aliud maius bonum, quod licitum [est] ut infra, dubio 8. — Quando autem sine honesto motivo movetur aliquis ad cogitandum de re turpi signum est non delectare solam cogitationem sed etiam rem cogitatam eritque huius indicium si oblatas optimas philosophicas et subtiles contemplationes circa alias res naturales facile omittis, et quando menti occurrit contemplatio rei infimae et obscenae vel de illa audis aliquid aut legis, magna habilitate singula quaeque perscrutaris.

2^a CONCLUSIO: *non est peccatum mortale delectari de aliquo mirabili vel artificioso modo alicuius peccati, ut de arte rapiendi aut decipiendi.* Ita D.Antoninus, 2 p., tit.3, cap.7, § 5⁸⁴; Gabriel, 4, d.15, q.13, a.3, dub.3⁸⁵; Caietanus et Armilla, verbo *delectatio*, n^o 2⁸⁶; Angelus, *cogitatio*, fine; Sylvester, *ludus*, q.8 et verbo *curiositas*, p.3, q.3⁸⁷; Petrus de Soto, De institutione sacerdotum, in tractatu de peccatis, lect.9 sub finem⁸⁸; Corduba

⁸⁴ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.3, cap.7, § 5: Lyon, t.2 (1529), f.82a.

⁸⁵ GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.4, q.15, a.3, dub.3: Tubinga 1977, 4/2, p.309s.

⁸⁶ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529. BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111r.

⁸⁷ *Summa Sylvestrina*, Ludus 8: Lyon 1593, parte II, p.159.

⁸⁸ PETRUS DE SOTO, O.P., *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum, lect.9: Amberes 1566, fol.354.

1° Quaestionarii, q.23, dub.11; Medina⁸⁹ et Zumel, in a.⁸⁰; Valentia, disp.6, q.4, puncto 3⁹¹. — Haec conclusio videtur recepta ab omnibus viris doctis et piis, qui sine ulla formidine narrare vel audire gaudent mirabiles aliquas artes rapiendi, fallendi aut vindicandi. Et ratio est quia tunc obiectum delectationis est bonum, scilicet ars, ingenium, fortitudo, inopinatus eventus; ergo licita est delectatio.

Aliqui docti iuniores limitant praecedentem conclusionem ad eum modum peccandi qui ex se indifferens est ut reperiatur in re bona et in mala. Sic huiusmodi est ars aut velocitas praeoccupandi vel interficiendi inimicum, quae potest iuste et iniuste contingere; si tamen modus ille quamvis singularis sit in eo genere, sit tamen proprius et determinatus ad opus illicitum, inquirunt non licere delectari de illo modo, quia est malus utpote determinatus ad malum, et non potest contingere delectatio de illo praecise qua ratione mirabilis est quin etiam delecteris de eo quod malum est.

Caeterum non video cur non possit placere voluntati modus ille quatenus mirabi- [f.267] -lis et artificiosus est et displicere quatenus est determinatus ad rem turpem. Dixi voluntati nam in appetitu sensitivo non reperiuntur eiusmodi praecisiones, ut infra, dubio 11; signa autem quibus investigare debes utrum delectet solum artificium similia sunt tribus signis traditis in 1^a conclusione: 1° nisi cogites de artificio non delectaris de illo; 2° commotio et alteratio corporis indicat appetitum sensitivum delectari de re cogitata; 3° si aliarum rerum simile artificium te non delectat, signum est in presenti non delectare artificium sed rem turpem cogitatam. Ita colligitur ex Sylvestre, *delectatio*, n° 7⁹², et indicat Caietanus, verbo *delectatio*⁹³, p.2, et Armilla, n° 2⁹⁴.

⁸⁹ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8: Venecia 1602, p.395b.

⁹⁰ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8: Salamanca 1594, t.I, p.310.

⁹¹ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, 1.2, disp.6, q.4, puncto 3: Lyon 1603, t.2, col.573.

⁹² *Summa Sylvestrina*, Delectatio 7: Lyon 1593, parte I, p.239b.

⁹³ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni

Hoc indicio fere evidenter convincuntur plurimi consentire in delectationem rerum turpium sub praetextu artificiosi carminis aut suavis musicae, qui tamen carmina magis artificiosa et elegantia rei piae vel indifferentis audire aut legere recusant vel salten longe minore hilaribilitate legunt vel audiunt. Idem observare deberent aliqui ex iis qui spiritualium nomine censentur si forte audire iuvat dicta lepida sed obscena aut fabulas vel historias ridiculas et subturpes quibus viris frequenter ex demonis arte vel ex inclinatione carnis contingit harum rerum artificium aut leporem videri longe maiorem ratione materiae in qua est et maiorem delectationem excitare quia conditus sit rerum turpium memoria. Huius indicium erit si viro gravi et castitate studioso frigida videntur et nullius vel infimae artis lepida et artificiosa videntur.

Simili indicio deprehendimus aliquos decipi latenti delectatione carnis ut frequentius et libentius loquantur de rebus honestis quae tamen ad minus honestas corporis partes pertinent, ut de quibusdam aegritudinibus, medicinis, vestibus, et flagris, quarum rerum memoria erumpit in risus incompósitos testes alicuius delectationis latentis.

Similis peccati arguuntur eadem ratione qui metaphoris rerum turpium gau- [f.267v] -dent quasi artificiose loquantur et qui quaecumque possunt detorquent ad turpes sensus et celebrant minus considerata dicta sub specie ostentandi acumen ingenii et loquentis imperitiam et aliquando gaudent potius rerum turpium recordatione. — Et in his omnibus saepe abest mortale peccatum, quia obiectum non est adeo obscenum ut sufficiat ad mortale vel quia ignorantia vel inadvertentia excusat; saepe tamen est peccatum mortale et raro aut numquam vacant aliqua culpa saltem veniali.

Denique, amatorem castitatis decet nullum praebere signum laeti aut commoti animi sed gravitatem et serenitatem vultus

servare cum hos sermones vel invitus audit vel iusta de causa his de rebus loquitur ac si edificanda domo vel ligno dolando loqueretur, ut monet Gerson citatus.

Dubitatur 4^o

Utrum peccet mortaliter qui per voluntatem non respuit delectationem turpem appetitus sensitivi quamvis illam non amplectatur positive per voluntatem

Difficile est explorare quid in hac re Doctores sentiant; sed propter rei gravitatem non erit omittendum.

1. Sententia Lyrae in Mt 5 [28] *qui viderit mulierem etc.* Ait non esse peccatum mortale non frenare delectationem appetitus secluso consensu. Unde videtur tenere negativam sententiam.

2^a sententia ait hunc peccare mortaliter. Ita videtur docere D. Augustinus, 12 De Civitate, cap. 12 dum ait *si delectationibus illicitis a quibus se continuo deberet avertere cogitatio libenter pascatur homo damnabitur*⁹⁵; et Magister 2, d. 24, illis verbis quia *tunc vir non sicut debuit cohibuit mulierem, unde potest dici consensisse*⁹⁶. Quibus verbis nullus scholasticorum explicantium Magistrum contradicit. Imo illam expresse recipit Altissiodorensis, 2 Summae, q. 28, c. 2, q. 3 versus finem; Alexander, 2, q. 125, mem. 11⁹⁷; et ex Prepositino et aliis antiquis Altissiodorensis [f. 268] apud Cartusianum, 2, d. 24, q. 6, col. 9⁹⁸, ubi Durandus, q. 6⁹⁹; Ricardus, a. 4, q. 4¹⁰⁰; Aegidius,

⁹⁵ Cf. AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1. 12, c. 12: CCL 50, p. 372, 48-50.

⁹⁶ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d. 24, c. 12: ed. Quaracchi 1916, t. 1, p. 425.

⁹⁷ ALEXANDER DE ALES, O.M., *Summa Theologica*, pars II, q. 125, mem. 11: Lyon 1516, fol. 275.

⁹⁸ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d. 24, q. 6: Venecia 1584, p. 442b.

⁹⁹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d. 24, q. 6: Amberes 1566, fol. 173d.

2^a p. distinctionis, q.2, a.2¹⁰¹; Gabriel, q.unica, fine¹⁰². Et cum in his locis nullam mentionem faciant periculi videntur sentire etiam sublato periculo consensus aut pollutionis peccare mortaliter eum qui plena deliberatione non resistit delectationi de objecto mortaliter malo, quamvis ille non consentiat positive.

Verumtamen nihil certi colligi potest ex his Doctoribus si attentius inspiciantur quia loquuntur de ratione superiori et inferiori et dicunt consensum rationis inferioris in delectatione esse mortale peccatum quando ratio superior potest illam reprimere et non reprimi; in praesenti autem quaestio est utrum sit peccatum mortale quando voluntas nec ut superior nec ut inferior habet consensum, sed habet se mere negative cum posset impedire motum appetitus.

Haec autem explicatio non videtur habere locum in D. Thoma, q.78 [74], a.6c ad 3, cum ibi de ratione ut sic loquatur, unde videtur ibi sentire reperire delectationem morosam cum mera omissione rationis, et postea, a.8 docet morosam delectationem esse peccatum mortale. Idem docent Vincentius in Speculo morali, l.3, p.2, d.3, a.6 et 8; Ioannes de Friburgo in Summa confessorum, lib.3, tit.34, q.271; Navarrus, cap.16, n^o.9¹⁰³ et Henricus, quodlibeto 6, q.32¹⁰⁴, asserit tunc proprie reperiri delectationem morosam quae est peccatum mortale quando datur consensus interpretativus quia voluntas deberet reprimere et non repressit. Idem D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 5¹⁰⁵, et

¹⁰⁰ RICARDUS DE MEDIA VILLA, O.M.C., *Super quartum librum Sententiarum*, d.24, a.4, q.4: Brixiae 1591, t.2, p.318.

¹⁰¹ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum*, dist.24, pars II, q.2, a.2: Venecia 1581, p.284a.

¹⁰² GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, q.unica: Tubinga 1977, 2, p.478.

¹⁰³ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.9: Venecia, 1584, p.293.

¹⁰⁴ HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, quodl.6, q.32: Paris 1518, fol.252.

¹⁰⁵ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 5: Lyon, t.2 (1529), f.107.

Tarantasia, d.24, et Abulensis in cap.4 Mt, q.75¹⁰⁶. Quamvis Abulensis non exprimat esse mortalem, ait tamen semper esse peccatum non resistere concupiscentiae post deliberationem et videtur loqui de peccato mortali. Idem videtur sentire Caietanus *delectatio*, § ultimo¹⁰⁷, ut explicabitur infra.

Sed hanc sententiam aperte docet Valentia, disp.6, q.4, puncto 3¹⁰⁸; Medina hic, a.6¹⁰⁹, et Zumel, a.8, disp.2¹¹⁰, dicentes esse receptam et procul dubio tenendam.

PROBATUR 1^o, quia consensus interpretativus moraliter aequipollet formali; sed consensus formalis in delectationem morosam est peccatum mortale; ergo etiam consensus interpretativus. [268v] Hic autem consensus interpretativus datur quando quis potest vitare et non vitat.

CONFIRMATUR regula iuris *qui tacet consentire videtur*. CONFIRMATUR 2 quia, nisi iste sit consensus interpretativus non apparet quis alius sit.

2^o ARGUITUR quia voluntas tenetur gubernare appetitum semper et praesertim quando potest sine magna difficultate; ergo quando materia fuerit gravis ut circa rem mortaliter malam, erit obligatio gravis.

3^o, quia femina tenetur resistere viro qui per vim conatur eripere charitatem; ergo similiter ratio tenebitur resistere appetitui.

¹⁰⁶ ALPHONSI THOSTATI, EPISCOPI ABULENSIS, *In Evangelium Sancti Matthei*, c.4, q.75: s.d., letra gót., fol.174b.

¹⁰⁷ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" : Lugduni 1529.

¹⁰⁸ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, 1.2, disp.6, q.4, puncto 3: Lyon 1603, t.2, col.574.

¹⁰⁹ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6: Venecia 1602, p.390b.

¹¹⁰ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae comentarii*, q.74, a.8, disp.II: Salamanca 1594, t.I, p.320-26.

4^o PROBATUR, quia est praeceptum negativum *non concupisces*, et grave; ergo semper obligat; voluntas autem concupiscit quando non reprimat concupiscentiam appetitus.

5^o, quia motum externum percusionis inchoatum in somno tenetur voluntas reprimere sub mortali post plenam deliberationem; ergo similiter delectationem appetitus.

3^a sententia ait delectationem esse morosam et peccatum mortale si ex complacentia illius delectationis quispiam negligat illam cohibere; si autem negligentia non provenit ex complacentia delectationis sed quia contemnitur cogitatio et eius delectatio licet ex quadam tepiditate idque secluso periculo, tunc non est peccatum mortale licet sit peccatum veniale. Ita Caietanus, verbo *delectatio morosa*, prope initium, § *magna tamen hic* et § *ultima*¹¹¹; Armilla, ibi, n^o 2¹¹²; Navarrus, cap.11, n^o 9¹¹³, et Medina, q.73, a.6, col.5 et 6¹¹⁴, quamvis lubricè loquitur, videtur tandem ire in eandem sententiam et Ludovicum Lopez in *Instructorium conscientiae*, cap.74 et 75¹¹⁵.

In hac sententia observanda sunt duo: 1^{um} est: quamvis voluntas nullum actum realem habeat circa delectationem appetitus nihilominus iudicari poterit aliquando voluntatem moveri ex interpretativo amore illius delectationis adhuc ad non cohibendam illam quando facile posset illam reprimere et rationes quae occurrunt ad illam reprimendam inclinarent voluntatem nisi obstaret delectatio, quod intellige secundum dicta de fine movente in pura omissione, supra, q.72, a.6, in apendice post dubium

¹¹¹ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" : Lugduni 1529.

¹¹² BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111.

¹¹³ M. DE AZPILCUETA NAVARRO, *Manual de confesores y penitentes*, c.11, n.9: Salamanca 1557 p.62s.

¹¹⁴ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.73, a.6: Venecia 1602, p.382a.

¹¹⁵ LUDOVICUS LOPEZ, O.P., *Instructorium conscientiae*, c.74 y 75: Salamanca 1592, p.183, 185.

3¹¹⁶. 2^{um} est auctorem huius sententiae Caietanum aliud intendisse quam prima fronte sonant eius verba, nam verbo *delectatio*, § *Magna tamen*, videtur docere [f.269] numquam esse mortalem omissionem cohibendi delectationem turpem nisi ea omissio procedat ex complacentia, at vero § *ultima* docet aliquem sic involvi delectatione appetitus ut propter diuturnitatem et deliberationem plenam moraliter sit perinde ac si propterea retineret delectationem quia illi placeret delectatio, unde iam Caietanus videtur admittere aliquando esse peccatum mortale delectationem morosam sine ullo actu voluntatis ex eo solum quod posset cohibere et non cohibeat¹¹⁷.

4^a sententia asserit non esse peccatum mortale non repellere delectationem appetitus etiam diu durantem nisi ratione periculi, ut si quis foveret serpentem. Ita D. Bonaventura, 2, d.24, in expositione litterae n^o 50 et p.2 distinctionis, a.2, q.2 a medio ait etiam si advertatur periculum non esse certum quod sit mortale non repellere delectationem, verumtamen esse tutius et ideo tenendum¹¹⁸. Eandem sententiam docet Angelus, *cogitatio*, n.2; Sylvester, *delectatio*, n.2¹¹⁹; Almain, 3 *Moralium*, cap. 24¹²⁰; Adrianus, 4 *De Eucharistia*, q.4, § *Et circa haec adverte*¹²¹; Corduba, lib.1 *Quaestionum*, q.23, dubio 10, § 2 *Opinio* et dub.11; Ledesma, l.4, q.24, a.7, conclusione 9; Marsilius, 2, q.10, a.1 ad 1 rationem citati; Angestus, *De libero arbitrio*, cap.6, conclus.4 et coroll.1.

¹¹⁶ RUIZ DE MONTOYA, *Commentarium in 1.2*, q.72, a.3, Appendix *Utrum possit esse bona et meritoria omissio pura sine ullo actu voluntatis*: *Archivo Teológico Granadino*, 56(1993)240-246.

¹¹⁷ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529.

¹¹⁸ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.582a.

¹¹⁹ *Summa Sylvestrina*, *Delectatio 2*: Lyon 1593, parte I, p.238.

¹²⁰ JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.116v.

¹²¹ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, *De Sacramento Eucharistiae*, Q. *Quia dictum est*, § *Et circa haec adverte*: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproducc. New Jersey 1964), fol.33b.

Eidem sententiae fere consentiunt licet non adeo expresse qui dicunt esse peccatum mortale non resistere tentationi quando imminet periculum, verumtamen non dicunt expresse non esse peccatum mortale si non sit periculum quo modo loquitur D. Thomas, De veritate, q.15, a.4 ad 10¹²²; Conradus supra, a.6, notabile 3 et 5¹²³; Tarantasia et Verbetius, quos refert et sequitur Sylvester, *delectatio*, n^o 2, part.4¹²⁴, qui tamen postea dicit eum qui tepide resistit delectationi non peccare mortaliter si desit periculum unde videtur idem sentire de illo qui nullo modo resistit quia similis est ratio utriusque. Idem sensit Soto, d.12, q.1, a.7, conclusione 1¹²⁵.

Quid veri contineat haec sententia dicitur in conclusione 2. Pro illa afferuntur plures rationes sed fuitiles et propterea omittendae. Aliae rationes quas affert Corduba procedunt tantum quando non est plena deliberatio. Aliae rationes supponunt in delectatione seu pollutione non esse inordinationem nisi quia volitae unde inferunt eius omissionem non esse malam; sed haec consequentia nihil valet nisi probent voluntatem non teneri ad cohibendam delectationem appetitus unde ad hoc reducitur tota difficultas.

Pro cuius decisione praemitto utrum teneamur delectationem reprimere antequam expresse et distincte cognoscamus illius malitiam vel periculum si tamen possumus illud cognoscere, de quo dicendum est infra, q.76, a.2, dubio 3. Nunc autem illud unum quaeritur utrum post plenam cognitionem quaecumque illa sit ad mortale peccatum teneamur reprimere delectationem appetitus.

DICO 1^o: *quod attinet ad praxim semper erit peccatum mortale per voluntatem nullum actum habere contrarium delectationi*

¹²² THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4 ad 10: ed. Vivès t.15, 58.

¹²³ CONRADUS KOELLIN, *In Primam Secundae*, q.74, a.8: Venecia 1589, p.566.

¹²⁴ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 2,4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

¹²⁵ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, p.557.

existenti in appetitu sensitivo post plenam deliberationem. - Explicatur: non exigo in voluntate actum quo reprimere conetur delectationem appetitus sed quod attinet ad praesentem conclusionem sufficet displicentia illius delectationis quae quantum ad reprimendum appetitus[m] sit actus inefficax sed quantum ad cohibendum omnem consensum liberae voluntatis sit propositum efficax.

Huic conclusioni favent valde Doctores 2^{ac} sententiae, praesertim D. Thomas, D. Antoninus, Tarantasia et Abulensis, et non est contra alios Doctores.

PROBATUR, quia semper erit in proximo periculo complacentiae et consensus in delectationem qui nullum habuerit actum displicentiae etenim non sumus usque adeo domini nostrae voluntatis ut possimus suspendere voluntatem ab actu, praesertim circa obiectum recte cognitum et vehementer allicitivum unde sicut vix erit quem rapidus cursus fluminis non moveat nisi nitatur ipse contra vim fluminis, ita nisi aliquis habeat actum saltem displicentiae incidet in complacentiam voluntatis; sed complacentia delectationis est intrinsece mala; ergo tenemur illam vitare quando facile possumus per actum displicentiae. CONFIRMATUR 1^o, quia nullus est qui possit distincte cognoscere se non habere in voluntate actum complacentiae quamdiu delectatur appetitus nisi habeat actum displicentiae; ergo ne homine inscio rapiatur eius voluntas, tenetur illam continere opposito actu displicentiae. CONFIRMATUR 2^o, quia vix umquam cognoscere possumus an nostra voluntas careat omni actu.

[f.270] Haec conclusio locum habet non solum in illis hominibus qui sine iusta causa perseverant in rebus quibus excitatur delectatio turpis in appetitu sensitivo sed etiam in hominibus qui iusta de causa perseverant in eisdem rebus, ut medico, chirurgo et confessario, de quibus infra, dubio 8^o; hi enim, licet non teneantur vitare causam delectationis tenentur tamen habere in voluntate displicentiam illius delectationis.

CONTRA HANC CONCLUSIONEM ET ILLIUS RATIONEM argumentantur aliqui hoc modo: illa complacentia voluntatis cuius periculum imminet nisi displiceat delectatio appetitus, vel est

complacentia subita et prorsus indeliberata in se et in causa, et sic non est peccatum mortale nec tenemur illam vitare vel est complacentia cuius causa possemus impedire licet ipsam non possimus impedire opposita causa et huiusmodi complacentiam in causa non tenemur impedire quia haec semper resultat ex aspectu, colloquiis et aliis actionibus quae sunt peccata venialia et quandoque non sunt peccata et tamen non propterea tenemur haec vitare, ut dicetur infra dubio 9; vel est voluntatis complacentia simpliciter liberae in se et haec non necessario erit etiam si voluntas non habeat displicentiam quia impossibile est hanc displicentiam esse liberam et necessario esse.

CONFIRMATUR 1^o, quia etiam si habeat quis in voluntate displicentiam de appetitus delectatione adhuc habebit saepe complacentiam voluntatis nam complacentia et displicentia eiusdem rei simul esse possunt in voluntate sub diversis rationibus.

CONFIRMATUR 2^o, quia si voluntas actu positivo efficaciter velit non consentire in delectationem appetitus erit non minus tuta quam si habeat displicentiam delectationis; ergo non requiritur displicentia. Addunt similes alias obiectiones quarum solutio constabit ex solutione praecedentium.

Igitur ad principalem obiectionem RESPONDEO: illa complacentia voluntatis cuius periculum proximum imminet est complacentia simpliciter libera in se et formaliter et quamvis illam possimus vincere quia libera est coeterum infallibile est aut fere infallibile fore ut non evitetur nisi habeamus actualem displicentiam delectationis sensibilis. Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO: nihil refert si voluntas habeat complacentiam de corporea delectatione quatenus delectatio est praecise et in universali dummodo non placeat haec delectatio turpis et ad huiusmodi complacentiam excludendam efficax est illa displicentia a me posita. [f.270v] Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO negando consequentiam, nam in illo proposito essentialiter includitur displicentia delectationis; haec enim est ratio propter quam voluntas firmiter decernit non consentire.

DICO 2^o: *qui habet huiusmodi displicentiam delectationis in voluntate aliquando non habebit periculum malitiae nec consensus*

licet non resistat delectationi et tunc non peccabit mortaliter quamvis non resistat. Ita Doctores 3^{ae} et 4^{ae} sententiae.

Et PROBATUR 1^o, quia licet ad voluntatem pertineat gubernare appetitum nihilominus non videtur tam stricte obligari ut sit mortale peccatum non refrenare motum inordinatum qui tamen voluntati displicet et inde non semper imminet periculum consensus, praesertim in hominibus qui firmiter decreverunt vitare omne mortale; quare hoc videtur esse tantum veniale peccatum, quando ex negligentia fit. Aliquando autem erit laudabile non conari ad reprimendos illos motus quando prudenter iudicaveris citius per oblivionem sedari illis non resistendo et acrius concitari si comprimantur, ut statim dicemus. Aliquando etiam laudabile erit non resistere ne nimis fatigetur qui antea iam similibus restitit vel ne somnum necessarium impediat,

CONFIRMATUR CONCLUSIO quia, si sub mortali teneremur reprimere delectationem teneremur a fortiori fugere causam illius; sed infra, dubio 8 et 9, non tenemur sub mortali fugere quasdam causas pollutionis aut delectationis; ergo non tenemur reprimere.

ROGABIS quid aliud sit resistentia praeter illam displicentiam. RESPONDEO: licet illa displicentia aliquo modo sit resistentia, proprie tamen non comprimitur delectatio nisi avocando imaginationem ad alias res cogitandas praesertim contrarias delectationi, ut passionem Christi Domini, mortem et infernum, assumendo aliquid poenitentiae. Et observandum est cum D. Thoma, 2.2., q.35, a.1 ad 4¹²⁶; Gerson, 2 p. Alphabeti 37, litt.D et Q, videlicet in tractatu de pollutione diurna¹²⁷; Soto, d.17, q.2, a.6, fine¹²⁸; Navarrus, c.11, n^o9¹²⁹; in omnibus vitiis et praesertim

¹²⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.34, a.1 ad 4: ed.leon. 8, 286b.

¹²⁷ I. GERSON, *De pollutione diurna*, Propositio octava: Opera, t.2, Paris 1606, col.492.

¹²⁸ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.17, q.2, a.6: Salamanca, 1557, p.787.

¹²⁹ MARTÍN DE AZPILCUETA NAVARRO, *Manual de confesores y penitentes*, c.11, n.9: Salamanca, 1557, p.62s.

in luxuria melius vinci tentationem illis remediis quibus cogitatio avocatur ad alia obiecta quam expresse dicendo non consentio et querendo in obiecto turpitudinem, malitiam et alias rationes propter quas illud detestemur, et propter hanc rationem et alias adductas pro conclusione 2, non erit necessarium diuturno et magno conatu extorquere a voluntate displicentiam delectationis turpis sed satis erit si quando advertitur placido et sereno animo mens erigatur in Deum [f.271] et in displicentiam delectationis.

DICO 3: *metaphysice loquendo, si abesset periculum consensus, quamvis voluntas non haberet actum displicentiae circa delectationem turpem appetitus, non peccaret mortaliter, et idem videtur esse de frenanda complacentia appetitus sensitivi de morte proximi, etenim non videtur esse tam stricta obligatio in voluntate gubernandi appetitum, et sublata hac obligatione non sequitur in voluntate consensus interpretativus nisi secundum quid, sicut obligatio est secundum quid et tantum sub veniali, nam consensus interpretativus non est nisi rei quam tenemur vitare et non vitamus.* CONFIRMATUR 1^o, quia satis prospectum est proli si voluntas sibi temperet a consensu et illius periculo.

DICO 4: *peccat mortaliter ille qui propterea non resistit delectationi turpi appetitus quia eius voluntas dubia est inter complacentiam et displicentiam delectationis et inter resistantiam et consensum.* Ita Medina, q.74, a.6, documento 5¹³⁰ (qui tamen huiusmodi dubium voluntatis confundit cum negatione resistantiae cum tamen sit positivus actus).

PROBATUR CONCLUSIO quia dubium voluntatis inter complacentiam et displicentiam delectationis turpis consistit formaliter in hoc quod appetitatio delectationis sensibilis aequalis est appetitioni honestatis oppositae et inde provenit tunc neutram partem preponderare donec pluris aestimetur una quam alia; est autem peccatum mortale habere appetitionem seu amorem quoad appetitionem aequalem circa delectationem et circa honestatem contrariam, quia cum preceptum sit non complacendi in illa delec-

¹³⁰ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6, doc.5: Venecia 1602, p.391b.

tatione hoc preceptum debet aestimari tanti ut vincat omnem aestimationem delectationis, quare non permittit aequilibrium,

PROBATUR 2^o quia hinc imminet grave periculum consensus.

Ad argumenta 2^{ae} sententiæ, RESPONDEO, ad 1: consensus interpretativus non reperitur quoties aliquis potest impedire malum et non impedit; Deus enim potest impedire omnia peccata et non impedit nec propterea interpretative consentit in peccata sed ad interpretativum consensum requiritur ut teneatur impedire et eo modo quo reperitur obligatio impediendi reperitur consensus interpretativus; cum autem obligatio cohibendi turpem delectationem appetitus secluso periculo non [f.271v] sit obligatio simpliciter et sub mortali sed secundum quid et sub veniali sequitur etiam consensum interpretativum esse secundum quid consensum et non simpliciter.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO: illa regula potius pertinet ad fori exterioris praesumptionem quam ad existentiam veri consensus interpretativi. RESPONDEO 2^o: si intelligatur de consensu interpretativo debet ita limitari qui tacet quando tenetur loqui videtur consentire. Ad 2^{am} confirmationem, constat ex solutione ad 1^{am}.

Ad 2 RESPONDEO: ratio tenetur cohibere appetitum, verum non sub mortali sed tantum sub veniali, quando non imminet periculum proximum consensus.

Ad 3: negatur consequentia, quia gravius est illud malum quod femina patitur et non contingit tam frequenter nec comitatur naturaliter rationi ut istud malum appetitus.

Ad 4 RESPONDEO: illa obligatio non concupiscendi ad actum voluntatis refertur simpliciter sed ad frenandum actum appetitus refertur secundum quid.

Ad 5 RESPONDEO: post deliberationem forte non movetur manus aut pes nisi ex imperio voluntatis, sed etiamsi sufficeret actus appetitus sensitivi ad movendam manum nihilominus propter damnum proximi teneremur impedire motum sicut etiam teneremur impedire feram irruentem in proximum; sed damnum proxi-

mi nullum imminet quamvis non cohibeatur inordinatus motus nostri appetitus.

Dubitatur 5

Utrum ratione periculi teneamur sub mortali reprimere turpes delectationes appetitus

1°. *Suppono non esse peccatum mortale exponere se periculo sive remoto sive proximo peccandi venialiter; erit tamen aliquando peccatum veniale.*

2°. *Non est peccatum mortale exponere se periculo remoto peccandi mortaliter. Erit tamen peccatum mortale exponere se periculo proximo peccandi mortaliter.* Ita colligitur ex D. Augustino, capite *Satisfactio* de poenitentia, d.3¹³¹, ubi clarius Glossa et ex D. Gregorio, homilia 24, et refertur capite *negotium*, de poenitentia, d.5¹³², et docet Angelus, verbo *concupinarius*, ubi Sylvester, et *confessio* 1° q.25¹³³, et communiter Doctores ubi de poenitentia; Medina, de poenitentia, tract.1, q.9, col. 5¹³⁴; Adrianus, quodlibeto 1, a.1 ad 5¹³⁵; Caietanus¹³⁶ et Armilla, *periculum*¹³⁷; Soto, 5 de iustitia, q.1, a.6, conclusione 2¹³⁸; et d.12, q.1, a.4¹³⁹; Castro, de iusta haereticorum puni-

¹³¹ c.3 D. III. de poen.: FRIEDBERG, 1, 1211.

¹³² c.7 D. V. de poen.: FRIEDBERG, 1, 1241.

¹³³ *Summa Sylvestrina*, Confessio I, n.25: Lyon 1593, parte I, p.166a.

¹³⁴ IOANNES DE MEDINA, *Codex de poenitentia*, tract.1, q.9: Salamanca 1549, fol.30b.

¹³⁵ ADRIANUS SEXTUS, *Quaestiones Quodlibeticae*, q.1 ad 4: Paris 1522, fol.2 c J. (Reprod. New Jersey)

¹³⁶ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "periculum": Lugduni 1529.

¹³⁷ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.352.

¹³⁸ D. SOTO, O.P., *De iustitia et iure*, 1.5, q.1, a.6, concl.2: Salamanca 1559, 386b.

¹³⁹ Cf D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.17, q.2, a.6: Salamanca, 1557, p.787.

[f.272] -tione, cap.17, col.9¹⁴⁰; Navarrus, in Manuali, cap.3, n° 14 et 15¹⁴¹, et dicto capite *negotium*, n° 6¹⁴²; Corduba, libro de casibus, q.4, notabile 2¹⁴³. Colligitur ex D.Thoma, 2.2., q.10, a.9, corp., fine¹⁴⁴.

RATIONE constat evidenter, quia mercatura, officium iudicis et advocati et alia munera Reipublicae habent remotum periculum mortalis peccati et tamen non propterea erit peccatum mortale illa suscipere aut retinere

3°. Quodnam erit periculum proximum sufficiens ad mortale peccatum colligitur ex dicto capite *negotium*, videlicet quod vix aut numquam contingit sine ruina.

4°. Quanto peccatum mortale quod timetur est gravius, tanto minus proximum periculum illius sufficiet ad mortale. Et semper id relinquendum erit arbitrio prudentis.

Expendendae erunt omnes circumstantiae, conditiones personae, consuetudinis, aetatis, complexionis, fervoris in virtutis studio, affectionis ad delectationes sensibiles, loci et temporis, ac denique quantum ius habeat persona ad illam rem in qua datur periculum. Vide dicenda infra, dubio 8, post conclusionem 2.

DICO 1°: *His omnibus circumstantiis inspectis, si ex delectatione appetitus sensitivi immineat periculum proximum consensus sive in opus sive in delectationem operis, erit peccatum mortale non reprimere delectationem etiamsi absit positivus consensus.*

Ita docent expresse omnes Doctores citati in praecedenti dubio pro 3^a et 4^a sententia. Et colligitur manifeste a fortiori ex

¹⁴⁰ ALPHONSI A CASTRO, ZAMORENSI, O.M.R.O., *De iusta haereticorum punitione libri 3*, 1.2, c.17: Paris 1578, col.297-302.

¹⁴¹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.3, n.14; n.15: Venecia, 1584, p.97; n.15, p.98.

¹⁴² c.6 D. V. de poen.: FRIEDBERG, 1, 1241.

¹⁴³ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.4, nota 2: Alcalá de Henares 1592, f.19.

¹⁴⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.10, a.9: ed. leon. 8,91.

D.Thoma, D.Antonino, Vincentio, Tarantasia, Henrico et Cartusiano citatis pro 2^a sententia ibidem.

Et RATIO evidens est quia, qui amat periculum peribit in illo, Ecclo 3 [27]. CONFIRMATUR quia, ex charitate tenemur vitare periculum vitae non solum propriae sed etiam alienae; ergo magis tenemur ex charitate vitare periculum offensae Dei et spiritualis mortis.

DICO 2^o: *licet non immineat proximum periculum consensus, si tamen immineat periculum proximum mollitiei, seu pollutionis, tenetur sub mortale voluntas conari ad cohibendam delectationem appetitus.* Haec conclusio non est adeo certa ut praecedens nec ita expresse traditur a doctoribus, illam tamen docet Sylvester, *delectatio*, n^o2, part.4¹⁴⁵, ubi Armilla, n^o 2¹⁴⁶; Caietanus, *pollutio*¹⁴⁷.

PROBATUR quia voluntas tenetur cavere ne [f.272v] appetitus sensitivus abutatur instrumento generationis quod est semen et videtur haec obligatio esse sub mortali quia est res magni momenti propter damna quae ex generatione et ex natura rei sequuntur ex seminis effusione extra legitimum vas.

Huius conclusionis fundamentum firmitus videbitur esse infra, dubio 9, ex quo constabunt solutiones obiectionum quae occurrere possunt contra praesentem conclusionem. — Interim oportet rationem reddere propter quam homo teneatur sub mortali impedire pollutionem provenientem ex cogitatione et delectatione turpi et non teneatur sub mortali impedire pollutionem provenientem ex aliis multis causis, de quibus in eodem dubio 9. Ratio autem est quia ad hominem pertinet administratio seminis per eas causas quae subiectae sunt homini sive despotice, ut motus manuum, sive politice ut cogitatio et delectatio, et insuper tenetur sub mortali auferre eas causas pollutionis quae sunt

¹⁴⁵ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 2,4: Lyon 1593, parte I, p.238b.

¹⁴⁶ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111.

¹⁴⁷ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "pollutio" : Lugduni 1529.

simpliciter causae, et notabiliter et per se et immediate ordinatae ad illum effectum. Huiusmodi autem sunt cogitatio et delectatio quae per se et notabiliter causant decisionem seminis, et politice subiiciuntur homini.

Doctrinam huius conclusionis aliqui extendunt ut sit peccatum mortale non conari ad cohibendam delectationem appetitus quando est periculum proximum dislitationis [distillationis] aut vehementis commotionis corporis quamvis absit periculum proximum pollutionis aut consensus. Verumtamen non video sufficientem rationem peccati mortalis in hoc periculo.

DICO 3^o: *peccat mortaliter qui tepide resistit imminente periculo proximo consensus vel pollutionis nisi ferventius resistat.*

Ita Sylvester nuper citatus. Et huius conclusionis RATIO eadem est quae duarum praecedentium.

Et tres praecedentes conclusiones CONFIRMANTUR et aperitur via investigandi quod periculum sufficiat ad mortale, quia quanto res aliqua magis per se et natura sua est periculosa et propellens ad peccatum tanto certius erit peccatum mortale et tanto minus proximum periculum sufficiet ad mortale. Constat autem turpes cogitationes et delectationes appetitus valde per se et ex sua specie et praeterea vehementer inclinare voluntatem ad consensum operis, ut docet D. Augustinus, tomo 9 tractatus *de honestate mulierum*, fine, dicens *quomodo si aliquis carbones apprehendat, si [f.273] cito proiiecerit nihil nocebunt, si vero diutius tenere voluerit, sine vulnere abire non potest*¹⁴⁸. Ita, si concupiscentiam in corde libere morari permiserit, excutere a se sine animae plaga non poterit. Idem D. Bernardus in meditatione, cap.14¹⁴⁹, et Cassianus, lib.6 de spiritu luxuriae ait: *cave caput serpentis, id est initium cogitationis, ne si caput introierit cor nostrum per negligentiam nostram reliquum corpus eius, id est consensus*

¹⁴⁸ AUGUSTINUS? *De honestate mulierum*: Basilea, 1542, t.9, col.1053

¹⁴⁹ BERNARDUS CLARAEVALLENSIS, *Meditationes devotissimae ad humanae conditionis cognitionem, alias liber de anima*, c.14: Lyon, 1546, fol.301.

*delectationis iniquae labatur in mentem*¹⁵⁰. Idem fere D. Gregorius in id 1 Regum 12¹⁵¹ ut non relinquerentur duo pariter et lib. 21 Moralium, cap.7, prope finem¹⁵². D. Bonaventura 2, d.24, in expositione litterae¹⁵³.

Hinc COLLIGITUR 1º: ratione periculi proximi consensus in opus vel in delectationem esse peccatum mortale aliquas collocutiones, aspectus vel tactus quae ex suo genere non sunt mortalia, id vel maxime quando eiusmodi actiones ex sua natura ordinatae sunt ad has delectationes excitandas ut inter viros et feminas de quorum periculo optime D. Augustinus, *de honestate mulierum*, tomo 9¹⁵⁴, et sermone 2 *de castitate coniugali*, qui est 243¹⁵⁵; Ciprianus, epistola ad Pomponium, *de virginitate*¹⁵⁶; Basilius, *de constitutione monastica*, cap.4¹⁵⁷; D. Gregorius, 21 Moralium, cap.2¹⁵⁸; Cassianus, lib.6 *de spiritu luxuriae*¹⁵⁹; D. Thomas, opusc.64, cap.22¹⁶⁰, optime explicans quibus gradibus perveniatur ad turpissimas illusiones demonis ex familiaritate virorum cum mulieribus, praesertim sub praetextu devotionis, ex stilo autem videtur illud opus esse D. Bonaventurae; idem D.

¹⁵⁰ IOANNES CASSIANUS, *De coenobiorum institutis libri duodecim*, 1.6, *De spiritu fornicationis*, c.13, casi a la letra: PL 49 284.

¹⁵¹ GREGORIUS MAGNUS, *In 1 Regum*, 12: Basilea 1564, col. 1492s.

¹⁵² GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.21, c.7: Opera, Antverpiae, 1572, p.136bM.

¹⁵³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.586.

¹⁵⁴ AUGUSTINUS? *De honestate mulierum*: Basilea, 1542, t.9, col.1051s.

¹⁵⁵ AUGUSTINI, *Sermo de castitate coniugali, II*: Basilea 1543, t.10, col.1128ss.

¹⁵⁶ *Cyprianus, Ad Pomponium, de virginitate*: Opera, Amberes 1589, t.1, p.128.

¹⁵⁷ BASILIUS MAGNUS, *Constitutiones monasticae*, c.4: Paris 1566, p.489.

¹⁵⁸ GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.21, c.2: Opera, Antverpiae, 1572, p.135v.

¹⁵⁹ IOANNES CASSIANUS, *De coenobiorum institutis libri duodecim*, 1.6, *De spiritu fornicationis*, c.13: PL 49 283.

¹⁶⁰ THOMAS AQ., *tomus decimus septimus... opuscula omnia*, Opusc. 64, (De familiaritate dominarum vel mulierum): Roma 1570, fol.104ds.

Antoninus, 3 p., tit.16, cap.1, § 10¹⁶¹; et interpretes in id Iob 31 [1], *pepigi foedus cum oculis meis*, et in id Eccli 9 [8], *propter speciem mulieris multi perierunt et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*, et in id Mt 5 [29], *si oculus tuus scandalizat te*, ubi praesertim videndus est Chrysostomus¹⁶², D.Bonaventura, cap.5 vitae S. Francisci.

COLLIGITUR 2°: *quando non est proximum sed remotum periculum eiusmodi esse peccatum veniale non cohibere cogitationem, delectationem, aspectum, colloquium et alia eiusmodi nisi iusta causa excuset*, ut infra, dubio 6, et dummodo saltem displiceat delectatio, ut in praecedenti dubio. [f.273v]

3° COLLIGITUR *quantum teneamur resistere cogitationibus: tenemur enim sub mortali resistere tantum quantum sufficiat ut evitetur periculum proximum consensus aut pollutionis; sed multo magis tenemur ad vitandum periculum consensus quam ad vitandum periculum pollutionis sine consensu; quae omnia relinquenda sunt arbitrio prudentis.*

Dubatur 6°

Quibus inditiis colligi poterit delectationem fuisse morosam et peccatum mortale

Hoc necessarium est tam poenitenti quam confessario, quia debent examinare delectationes turpes utrum ad mortale pervenerint et nisi probabilius vacasse mortali culpa explicandae sunt in confessione cum ea certitudine aut dubio quod habet poenitens post prudentem inquisitionem, de quo in materia de poenitentia.

Haec inditia colligenda sunt ex praecedentibus dubiis in quibus quaedam clarius constant, alia autem expresse tradi oportebit.

¹⁶¹ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.16, cap.1, § 10 : Lyon, t.3 (1529), f.142.

¹⁶² IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in Matthaeum*, Hom.17: PG 57 258.

1°. *Qui non advertit plene delectationem, ita ut si adverteret non approbaret, etsi integro die duret in delectatione non peccat mortaliter.* Et propterea excusantur a mortali qui exsurgentes a somno pollutionis aliquam delectationem capiunt. Ita docet Caietanus, *delectatio*, § *Ex parte vero*¹⁶³, et Armilla, *delectatio*, initio¹⁶⁴; Gerson, *Alphabeto*, 37, litt.D; Navarrus, cap.11, n° 9, ex cap. *sed pensandum est*, d.6¹⁶⁵; Medina, q.74, a.6¹⁶⁶. Et colligitur ex omnibus doctoribus citatis in conclusione dubii 1. Sed pro hoc et sequenti dicto plures auctores videbimus infra, q.76, a.2, dubio 3, opinione 1.

2°. *Licet aliquis animadverteret delectationem sed tamen naturali quadam inadvertentia non adverteret periculum et malitiam delectationis, non peccaret mortaliter, iuxta dicenda infra*, q.76, a.2, dubio 3, in 3^a conclusione, ubi explicabitur ratio huius doctrinae et discrimen huius materiae ab aliis.

3°. *Etsi cogitatio et delectatio diu duraverint post talem advertentiam non colligitur inde esse peccatum mortale, quia possunt durare post resistantiam aut displicentiam debitam, ut saepe dictum est.* Ita Caietanus, *delectatio*, p.3, § *Inter*¹⁶⁷; Medina, q.74, a.8, prope finem¹⁶⁸; et colligitur aperte ex dictis hac q.74, a.3, dubio 4.

4. *Ex dictis colligitur in quibusdam hominibus maius, in quibusdam vero brevius tempus [f.274] sufficere ad consensum interpretativum mortalem, quia quibusdam citius imminet periculum proximum quam aliis et quia quidam citius*

¹⁶³ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio" : Lugduni 1529.

¹⁶⁴ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111, n.1.

¹⁶⁵ c.2, D.6: Friedberg 1,10.

¹⁶⁶ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6: Venecia 1602, p.391b.

¹⁶⁷ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio" : Lugduni 1529.

¹⁶⁸ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8: Venecia 1602, p.395b.

animadvertunt. Ita D. Bonaventura, 2, d.24, in expositione litterae, n^o.52¹⁶⁹.

5. *Ex qualitate personae colligi potest delectationem fuisse morosam nam tales frequenter contingunt tepidis et male asueti, ut bene D. Antoninus, 2 parte, tit.5, cap.1, § 5¹⁷⁰, contra vero, qui consuetudinem habent resistendi tentationibus et habent firmum propositum moriendi potius quam peccandi, raro aut numquam peccant mortaliter per interpraetativum consensum in delectationem licet negligentes sint in resistendo.* Ita Caietanus, *Delectatio*, fine¹⁷¹; idem fere Medina, q.74, a.8, prope finem¹⁷². — Si autem alicuius animus coeperit fluctuare contrariis motibus et debilitari propositum castitatis, et hinc delectatio rapiat, et illinc vero timor poenarum, pudor confessionis vel aliud motivum contineat tunc difficilius erit apprehendere an fuerit peccatum mortale; verumtamen si cum plena advertentia periculi contingat haec fluctuatio frequenter videtur continere mortalem culpam illius dubiae appretiationis quam diximus in dubio 4.

6. *In conscientis non scrupulosis inditium est peccati mortalis remorsus conscientiae tamquam de mortali, qui remorsus in conscientis scrupulosis non est inditium mortalis culpa. Quin potius quando non sunt certi de suo consensu signum est scrupulosos non consensisse. At vero in conscientis quae retento Dei timore facile reiiciunt scrupulos quies animi indicat non fuisse mortalem consensum.*

¹⁶⁹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.586b.

¹⁷⁰ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 5 : Lyon, t.2 (1529), f.107.

¹⁷¹ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio" : Lugduni 1529.

¹⁷² B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8: Venecia 1602, p.395b.

Dubitatur 7

Utrum sit peccatum mortale procurare pollutionem

Haec et quaedam sequentes quaestiones licet propriae sint disputationis de luxuria merito tamen a Doctoribus communiter tractantur in praesenti quia sine illis non poterit plene explicari quando sit peccatum mortale cogitatio turpis et eius delectatio.

CONCLUSIO certa: *Semper est peccatum mortale procurare pollutionem non solum quando procuratur causa delectationis sed etiam quando propter finem alias honestum ut propter sanitatem vel propter sedandas tentationes. Insuper etiamsi per media alias licita ut per cibum aut potum procuretur. Et sive procuretur ut eveniat in [f.274v] somno sive in vigilia.* Ita Paludanus, 4 d., q.93, a.1, concl.1; D. Antoninus, 2 parte, tit.6, cap.5¹⁷³, et ex Archidiacono, Baptista et aliis Adrianus in 4 q. 4 de Eucharistia, § *His praemissis*¹⁷⁴. Sylvester, *Pollutio*¹⁷⁵, ubi Angelus; Tavienna, *Communicare*, n° 44; Gerson, 2 p. tractatus de pollutione diurna 11¹⁷⁶, alphabeto 37, littera h; Caietanus, 2.2., q.154, a.5¹⁷⁷; Navarro, cap.16, n° 6 et 9¹⁷⁸; Corduba, libro 1 Quaestionum, q.23, dubio 14; Navarra, 2 De restitutione, c.3, n° 140¹⁷⁹; Margarita confessorum, in 6° praecepto, fol.90¹⁸⁰.

¹⁷³ ANTONINUS, *Summa*, 2 parte, tit.6, cap.5 : Lyon, t.2 (1529), f.128d 129.

¹⁷⁴ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, § *His praemissis*: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.35b.

¹⁷⁵ *Summa Sylvestrina*, *Pollutio*: Lyon 1593, parte II, p.306.

¹⁷⁶ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio undecima: Paris 1606, t.2, col.494.

¹⁷⁷ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2, q.154, a.5: ed.leon. 10,230.

¹⁷⁸ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.17, n.3 y 40: Venecia, 1584, p.289 y 292s.

¹⁷⁹ PETRUS A NAVARRA, *De ablatarum restitutione in foro conscientiae*, c.3, n.140: Lyon 1593, pág.209.

¹⁸⁰ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

PROBATUR 1° ex 1 Cor. 6 [9], ubi inter fornicarios, rapaces et alios qui regnum Dei non possidebunt connumerantur *molles*, ubi Chrysostomus¹⁸¹ et D. Thomas¹⁸² intelligunt eos qui muliebria patiuntur sed Angelus et Lyra intelligunt eos qui se ipsos polluunt unde omnes fere Doctores scholastici dum disputant de matrimonio aut de luxuria nomine mollitiei intelligunt pollutionem.

PROBATUR 2° quia talis emissio seminis est abusus instrumenti naturaliter ordinati ad generationem de quo Doctores citati et D. Thomas, 2.2., q.153, a.3 ad 1¹⁸³, et De malo, q.15 a.1 ad 4¹⁸⁴. CONFIRMATUR quia, sicut nulli personae particulari licet occidere reum sine auctoritate publica quamvis propter bonum finem occidatur quia ea potestas tradita est tantum iudici, ita licet emissio seminis ordinetur ad bonum finem ad quem conducere potest numquam tamen licet eam procurare praeterquam eo modo quo a natura permissa est, scilicet in matrimonio ad generationem.

Ac denique sanitatem non esse sufficientem causam procurandi pollutionem peculiariter PROBATUR quia minus inordinata est fornicatio simplex quam pollutio quae longius distat a fine generationis et tamen licet medici sapientes dicant infirmitatem gravem curari posse fornicatione non licebit fornicatio nec praeterea licebit ad sedandas tentationes vel ad alium bonum finem; ergo minus licebit pollutio.

CONSONANT quae circa votum castitatis docent D. Thomas, 2.2., q.88, a.11 ad 3¹⁸⁵; D. Antoninus, 2 p., tit. 11, cap.2, §

¹⁸¹ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in I ad Corinthios*, Hom.16: PG 61 134s.

¹⁸² THOMAS AQ., *In epistolam I ad Corinthios commentaria*, 6,9: ed. Vivès 20,662a.

¹⁸³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.153, a.3 ad 1: ed.leon. 10, 209.

¹⁸⁴ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.15, a.1 ad 4: ed.leon. 23,271.

¹⁸⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.88, a.11 ad 3: ed.leon. 9,265.

9 prope finem¹⁸⁶; Durandus, 4, d.38, q.2, fine¹⁸⁷; Sotus, 7 de iustitia, q.4, a.2 ad 3¹⁸⁸; Ioannes de Medina, C. de ieiunio, fine¹⁸⁹; Mi- [f.275] -chael de Medina 4 lib. de Continentia controversia 4, a cap. 20; Ledesma, 2 4ⁱ q.17, a.6 prope finem. Ex quibus constat remedium pollutionis aut fornicationis numquam esse simpliciter necessarium ad sanitatem licet aliquando sit utile. Et hinc solvitur argumentum quod posset oponi contra 1^{am} conclusionem.

Eidem conclusioni 1^{ae} nullum quem sciam contradicit inter scholasticos, videtur tamen oppositum sentire Altissiodorensis, l.2, tract.28, q.4 incidenti. Nihilominus si atente consideretur solum ait non esse peccatum mortale auferre impedimenta virtutis generativae per medicinas in eum finem assumptas sicut non est peccatum auferre impedimenta virtutis motivae aut virtutis nutritivae.

Sit ergo 2^a CONCLUSIO: *Speculative loquendo non videtur a ratione aliena haec sententia dummodo medicina non causet illam sanitatem media pollutione sed removendo corruptos humores sicut remouentur ad sanandam virtutem motivam aut nutritivam.*

PROBATUR conclusio, quia sanitas virtutis generativae non minus bona est quam sanitas aliarum virtutum et praeterea medium ad hoc ordinatum non est pollutio, ut ex dictis constat sed tantum medicina removens humores corruptos; ergo licite procuratur haec sanitas et hoc modo.

Hinc responderi potest Cordubae, qui libro 1, q.23, dubio 14, impugnat Altissiodorensem non bene intellectum. Et argumentum est huiusmodi: ex illa medicina sequuntur motus et delectationes turpes et pollutiones et haec volitae erunt in causa non minus quam in ebrietate volitum est homicidium, ergo non licet illa

¹⁸⁶ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.11, cap.2, § 9 : Lyon, t.2 (1529), f.184.

¹⁸⁷ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 4, d.38, q.2, fine: Amberes 1566, fol.383d.

¹⁸⁸ D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, l.7, q.4, a.2 ad 3: Salamanca, 1569, pág.651b.

¹⁸⁹ J. DE MEDINA, *Codex de ieiunio*: Salamanca 1549, 148v.

medicina. — Respondeo: hi motus, delectationes turpes et pollutiones non sunt voliti in causa sicut non sunt voliti quando sequuntur ex cibo aut potu, infra, dubio 8 et 9, aut sequuntur ex alia re valde necessaria aut convenienti naturae, nam virtus generativa et illius sanitas pertinet ad integritatem naturae humanae.

Haec de omnibus hominibus dicta sunt speculative, nam practice vix umquam continget, ut existimo, utrum solutus qui non intendat coniugium inire nihilominus per medicinas procurare sanitatem solius virtutis generativae nullo alio morbo urgente nisi propter tales delectationes et pollutiones. [f.275v]

Circa utramque conclusionem DIFFICULTAS est utrum saltem liceat procurare eam pollutionem quae fit sola virtute excultrice quae pertinet ad gradum vegetativum nullo interveniente sensu aut delectatione aut cogitatione turpi sed ut expellatur sudor. - Ratio dubitandi est quia licitum est complacere in huiusmodi pollutione praeterita vel futura et illam desiderare, ut dicitur infra, dubio 17, concl.2; ergo licebit illam intendere et procurare per medicinas. CONFIRMATUR quia hoc non minus naturaliter causatur a virtute farmacorum quam sanitas virtutis generativae et expulsivae; ergo sicut hanc sanitatem licet intendere, ita illam.

Nihilominus sit 3^a CONCLUSIO: *peccatum mortale erit intendere aut procurare per medicinas aut quolibet remedio praedictam pollutionem.* RATIO conclusionis est solutio argumenti propositi. Haec est quia in his quorum non habemus dominium nec administrationem possumus nos complacere in re bona facta ab alio habente dominium et possumus desiderare ut fiat sed non possumus illam facere. Sic enim potest aliquis complacere in morte proximi cui si viveret immineret grave periculum negandi fidem aut aliorum scelerum, et licite desideraret eam mortem a Deo causari sed non potest eandem mortem procurare aut intendere suis actibus etiamsi alioqui fuerint licitae.

DICES: Ex eodem exemplo colligitur ut sicut licet per orationes procurare ut Deus per mortem eripiat hominem a periculo peccandi et procurare ut iudex reum morte condemnet iuxta allegata et probata ita licebit procurare ut virtus expulsiva exerceat suum

munus libere et expedite, cuius muneris pars est expellere illum humorem et non erit opus dominio vel administratione ut hoc liceat. RESPONDEO negando consequentiam, quia ille qui orat Deum aut persuadet iudici nullam necessitatem illis affert et propterea nullam iniuriam irrogat reo at vero qui remedia adhibet affert necessitatem virtuti expulsivae et inde quasi iniuriam infert semini et proli.

Sed ut clarius constet solutio et praecedens conclusio notandum est hanc expulsionem procurari posse duplici modo: 1^o ita ut remedium non solum sanitatis [f.276] afferat virtuti expulsivae sed etiam illam excitet et adiuvet ad actualem emissionem seminis, et istud est iam gubernare virtutem expulsivam et administrare semen et non est mere actio virtutis expulsivae. 2^o. Si autem per medicinam nihil aliud procuraveris nisi sanitatem virtutis expulsivae et ut expulsio seminis nocivi fiat a sola virtute expulsiva sana sine alio adiumento actuali medicinae et sine ulla irritatione illius, hoc nullam turpitudinem habere videtur nec detrimentum prolis et istud proprie loquendo non est procurare pollutionem. Ut enim non dicetur proprie procurare vomitum qui deponit ea quae retinent vomitum sed non provocat stomachum sed permittit illum sua sponte expellere aut retinere, ita etiam non proprie procurat effectum expulsionis qui virtutis expulsivae impedimenta removet sed eam nullo modo provocat ad expellendum.

Ex his RESPONDEO ad rationem dubitandi negando consequentiam quia circa semen nec dominium nec administratio commissa est homini extra matrimonium et ideo quamvis licite placeat et desideretur, illicite tamen procuratur emissio seminis. — Ad confirmationem RESPONDEO illud esse ex suo genere bonum virtutis generativae et nutritivae et praeterea subiaccere administrationi hominis, at vero seminis emissio extra matrimonium ex genere est contra bonum et finem eiusdem et illius administratio non est commissa homini et quamvis actio medicinarum circa semen sit prorsus naturalis, nihilominus actio hominis libere applicantis medicinam ad illum finem est libera et requirens facultatem gubernandi illud quod intendit expellere.

Sed DICES praeterea unde colligitur hominibus non esse commissam administrationem seminis extra matrimonium praesertim quando semen est inutile generationi et nocivum personae et non scitur aliud remedium sanitatis nisi emissio illius quidquid sit utrum vere possibile sit aliud remedium et difficultatem auget quia licita est abscisio manus quamvis possibile sit aliud remedium si tamen non potest ita facile obtineri aut ignoratur. Et CONFIRMATUR quia praebere opem expulsivae virtuti non videtur turpe sicut non est turpis actio virtutis expulsivae. Nec satis est respondere bonum speciei esse altius nam propter sanitatem licite re- [f.276v] -secantur testiculi quorum defectu impeditur directe et per se bonum prolis magis quam emissionem seminis.

RESPONDEO adhuc non oportuisse ut administratio seminis quocumque modo etiam praebendo auxilium expulsivae virtuti committeretur homini in ullo casu extra matrimonium. Quia haec administratio ut plurimum delectationem habet qua homo frequenter deciperetur et incitaretur, et non habet dolorem et tristitiam qua cohiberetur qualem affert mutilatio cuiusque membri, et ideo haec administratio tute commissam est homini atque in matrimonio recte Doctores dicunt oportuisse vinculum indissolubile omnino et sine ulla exceptione quamvis possibilis sit casus in quo ad bonum prolis expediret esse solubile idque propter maximum periculum quod imminebat si semel aperiretur ianua solvendis matrimoniis, sic oportuit negatam esse omnem potestatem circa semen extra matrimonium.

4 CONCLUSIO: *Non peccat mortaliter qui inceptam pollutionem non retinet propter periculum morbi.* Ita Sotus, 4, d.12, q.1, a.7, col.5¹⁹⁰; Gerson, de pollutione diurna, propositione 12¹⁹¹, scilicet alphabeto 38, littera L; Corduba, lib.2 Quaestionum, q.23, fine.

¹⁹⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, t.1, p.556b.

¹⁹¹ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio duodecima: Paris 1606, t.2, col.494.

Et RATIO est quia ille non procurat pollutionem sed potius patitur illam et non tenetur illam impedire cum id non contingat sine salutis detrimento eo quod illud semen in corruptionem vergat et ineptum sit generationi. Consulit tamen Gerson ut laudabilius etiam tunc retinere pollutionem ut liberior sis ab eius immunditia, verum id curandum erit sine violentia et agitatione aut alia quavis re excitante calorem aut nutriente cogitationem, de quo vide Gerson citatum.

Ex horum Doctorum sententia quidam dicunt non esse peccatum mortale procurare emittere semen iam decisum. Sed non advertit quantum intersit inter procuratam emissionem et non retentionem nam illud est agere hoc autem permittere naturae suam naturalem actionem

. Insuper, videtur numquam posse liberari a peccato mortali procurare emittere semen iam decisum a lumbis, quia Doctores citati pro 1^a conclusione, sine ullo discrimene damnant peccati mortalis omnem pollutionem intentam et quia nullus habet ius in illud semen nisi ratione matrimonii. CONFIRMATUR quia talis procuratio emittendi seminis vix umquam continget sine periculo gravi consensus in aliquid mortaliter turpe. [f.277]

5 CONCLUSIO: *procurare commotionem notabilem et magnam spirituum vitalium subservientium generationi et membrorum et seminis est peccatum mortale etiamsi per media alias venialia procuretur ut per lenocinia verborum non turpia per inditia amoris vel per tactum manus.*

PROBATUR quia talis commotio et alteratio est inchoata quaedam pollutio et essentialiter ordinatur ad perfectam seminationem et notabiliter conducit ad illam magis quam tactus verendarum qui tamen propterea sunt peccatum mortale ex communi sententia, infra, dubio 21.

Pro conclusione et dubiis sequentibus observa ex genitalibus profluere quemdam humorem semini similem in colore verum magis liquidum et tenuem et minori corporis conmotione exeuntem et in minore quantitate saepe quae propterea a Doctoribus appellatur distillatio.

6 CONCLUSIO. *Procurare notabilem distillationem similiter est peccatum mortale sicut procurare notabilem commotionem spirituum, modo dicto in conclusione 4.*

PROBATUR, quia talis distillatio est per se coniuncta cum notabili commotione spirituum vitalium servientium generationi et membrorum et cum dicta inchoata seminatione et est effectus illius solius; implicat autem amari et procurari effectum quin ametur et procuretur causa per se unica illius. Si autem non procuraretur nisi levis quaedam distillatio et levis commotio spirituum non esset peccatum mortale sed veniale nisi immineat periculum proximum alterius peccati mortalis.

In huiusmodi peccato decipiuntur aliquando viri castitatis studiosi dum quarundam personarum familiaritate et colloquiis alias honestis existimant se delectari propter aliquem bonum finem et vere non delectantur nisi propter dictam levem commotionem spirituum vitalium natam ex indiciis benevolentiae et aspectu pulchro vel alia simili cogitatione, et idem contingit in aliis actibus ut in lectione.

Pro hoc et sequentibus dubiis NOTANDUM est primo feminis esse peccatum mortale voluntariam pollutionem non minus quam viris quamvis in feminis difficilius sit ostendere pollutionem esse contra bonum generationis, de qua quaestione physica copiose [f.277v] disputat Caietanus, 2.2., q.154, a.12¹⁹². Et pollutio naturalior et forte frequentior feminis est quam non emittunt extra sed intra se ipsas commovent, ut colligitur ex Aristotele, 1 *De historia animalium*, cap.3¹⁹³, quamvis saepe extra se pollutionem emittant feminae, sed utraque pollutio est peccatum mortale ex genere.

2^o. NOTANDUM est hic disputari a quibusdam utrum pollutio ipsa exterior sit peccatum quando est culpabiliter volita sive in

¹⁹² THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.154, a.12: ed.leon. 10,249.

¹⁹³ ARISTOTELES, *De historia animalium*, liber 1, cap.3: Operum t.2, Lugduni 1549, col.5.

somno sive in vigilia; sed haec quaestio revocanda est ad universalem de peccatis aliarum potentiarum a voluntate, de quibus supra, a.2, dubio 3 huius quaestionis 74¹⁹⁴. Solum nota dictis ibi consonum esse quod hic definiunt communiter Doctores, videlicet, eiusmodi pollutionem vere esse peccatum et ita appellandam esse sed non esse peccatum interius ratione sui imputabile sed exterius et imputabile ratione alterius et propterea non addere malitiam de novo imputabilem supra malitiam volitionis ratione cuius est voluntaria pollutio. Ita D. Antoninus, 2 parte, tit.6, cap.5 vers. 2^a causa¹⁹⁵; Angelus, *pollutio*, initio; Sylvester, *pollutio*, fine¹⁹⁶; Gerson, de pollutione diurna, propositione 1, fine¹⁹⁷, alphabeto 37 vel 38, littera E; Sotus, d.12, q.1, a.7, col.4¹⁹⁸; Corduba, 2 Quaestionum, q.2 fine; Ledesma, 2 4 q.21, a.7, dubio 2.

3^o. Ex eisdem locis constat explicandam esse in confessione non solum causam pollutionis sed etiam illam pollutionem procuratam et explicandam esse circumstantiam personae, utrum coniugatus sit et utrum habeat votum castitatis et utrum eo tempore cogitaverit de re habenda cum alia persona et cuius status aut sexus.

Dubitatur 8

**Utrum sit peccatum mortale
dare causam pollutioni aut delectationi,
non intendendo illam sed alium bonum finem**

¹⁹⁴ *ArchTeolGran*, 59 (1996) 180-186.

¹⁹⁵ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.6, cap.5, 2^a causa : Lyon, t.2 (1529), f.129.

¹⁹⁶ *Summa Sylvestrina*, *Pollutio*: Lyon 1593, parte II, p.306.

¹⁹⁷ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, *Propositio prima*: Paris 1606, t.2, col.490.

¹⁹⁸ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, t.1, p.556a.

Pro parte affirmativa ARGUITUR quia omnis voluntaria seminatio extra matrimonium est peccatum mortale; haec autem seminatio est voluntaria. Quod probatur quia, qui vult antecedens vult consequens, praesertim quando scit quid sequatur ex antecedente. Alia argumenta vide in dubio sequenti.

Suppono ut certum ex dicendis de ignorantia infra q.76, a.3, et supra, q.73, [f.278] a.8, dubio 2¹⁹⁹, qui ignorat invincibiliter rem aliquam esse causam pollutionis non magis peccare ratione illius rei quam si non esset causa pollutionis; quando autem est de illo qui scit aut scire potest aliquid esse causam pollutionis

1. CONCLUSIO. *Secluso periculo proximo consentiendi in peccatum mortale vel in delectationem illius, nullum peccatum est dare causam delectationis carnalis vel distillationis aut pollutionis quando res illa quae causa est requiritur vel est valde utilis spirituali vel corporali saluti propriae aut alienae aut aliam utilitatem habet et dummodo non intendatur delectatio vel distillatio aut pollutio sed intendatur illa utilitas.* Itaque licitum est studere huiusmodi rebus ad docendum vel ad confessiones audiendas et audire confessiones feminarum, concionari, exercere officium chirurgi aut medici, videre et alloqui feminas, sumere necessarios cibos calidos aut medicinas, equitare, dormire resupinum, quamvis credatur fore ut ex illis causis sequatur pollutio.

Hanc conclusionem docet D. Augustinus, *12 Super Genesim ad litteram*, cap.15, tomo 3²⁰⁰; et colligitur ex D. Gregorio, libro 12, indictione 7, ad undecimam interrogationem episcopi anglorum²⁰¹, et habetur cap. *Testamentum*, d.6, § *Sed est*, ubi aperte id docet²⁰²; Glossa, verbo *reatum*, et D. Thomas, 2.2.,

¹⁹⁹ *ArchTeolGran*, 57 (1994) 337-339.

²⁰⁰ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, lib.12, c.15: Basilea 1541, t.3, col.689.

²⁰¹ GREGORIUS MAGNUS, *Epistolarum ex Registro libri duodecim*, lib.12, indict.7, Undecim interrog. Augustini Cantuar., responsio ad 11: Basilea 1564, t.2, col.1198.

²⁰² c.1, D.6, § 1: Friedberg, 1, 9.

q.154, a.5 corpore²⁰³, et 3 parte, q.80, a.7 corpore²⁰⁴; D. Antoninus, 2 p., tit.6, cap.5, et 3 p., tit.13, cap.6, § 10²⁰⁵; Gerson, tract. de pollutione diurna, fine²⁰⁶, alphabeto 38; Adrianus, 4 de Eucharistia, q.4, § *His praemissis*, ex Paludano, Archidiacono et Baptista²⁰⁷; Turrecremata, d.6, cap. *Quia vero*, a.1, corpore; Caietanus, tomo 1 opusculorum, opusc.22, de pollutione contingente ex confessione²⁰⁸, et in Summa, *delectatio*, p.3²⁰⁹; Sotus, 4, d.12, q.1, a.7, conclusione 1²¹⁰; Sylvester, *pollutio*²¹¹, ubi Armilla, n° 1²¹²; Navarrus, cap.11, n° 9; Ledesma, 1 4ⁱ q.21, a.7, dub.7; Corduba, 2 Quaestionum, q.31, col. penultima.

Ex Caietano PROBATUR quia quando aliquis effectus non intenditur per se et directe ab operante tunc non imputatur operanti nec est voluntarius indirecte nisi operans teneatur illum effectum vitare, ut docet D. Thomas, 1.2, q.6, a.3, corpore²¹³; sed nullus tenetur vitare pollutionem in similibus actibus quoniam nullus artifex omittere debet opera suae artis propter defectus provenientes ex materia et instrumentis artis. CONFIRMATUR 1°,

²⁰³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.154, a.5 : ed.leon. 4,229.

²⁰⁴ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.80, a.7c: ed.leon. 12,237.

²⁰⁵ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.13 cap.6, § 10 : Lyon, t.3 (1529), f.103bc.

²⁰⁶ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio duodecima: Paris 1606, t.2, col.494s.

²⁰⁷ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, § *His praemissis*: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproducc. New Jersey 1964), fol.35bc.

²⁰⁸ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 22 de pollutione ex auditione confessionis proveniente : Lugduni 1585, pag.114s.

²⁰⁹ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" : Lugduni 1529.

²¹⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7, concl.1: Salamanca, 1557, p.555.

²¹¹ *Summa Sylvestrina*, Pollutio: Lyon 1593, parte II, p.306.

²¹² BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* : Barcinonae 1566, fol.355, n.1.

²¹³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2, q.6, a.3 c : ed.leon. 6,58.

quia, cum natura vim habeat quibusdam temporibus expellendi illum humorem, non multum refert utrum paulo antea exeat [f.278v] dummodo homo non intendat illius decisionem. CONFIRMATUR 2^o efficacius quia, nisi conclusio vera esset, cesarent innumerae actiones valde necessariae reipublicae christianae et iniicerentur omnibus plurimi laquei. CONFIRMATUR 3^o, quia homo habet ius ad eiusmodi actiones, et non debet privari suo iure propter illum defectum contra suam voluntatem contingentem.

1^o, OBSERVAT bene Caietanus opusculo citato, nihil referre utrum pollutio vel delectatio credatur futura in somno vel in vigilia dummodo illa non sit intenta nec ut finis nec ut medium: sic enim sive in somno sive in vigilia contingat non erit voluntaria nec directe nec indirecte propter rationem dictam.

2^o OBSERVA, conclusionem habere locum etiam si delectatio sensualis vel pollutio contingant quando fit actio a qua causantur. Ita docent citati in conclusione, praesertim Gerson, Caietanus, Adrianus, Armilla et Navarrus. Quamvis, quia propinquius est tunc periculum consensus, maior sit adhibenda cura cavendi periculum.

3^o. Quamvis consilium sit vitare eiusmodi causas distillationis aut pollutionis quando sine omissione maioris boni vitari possunt, nihilominus si distillatio contingat ut aliquando contingit sine ulla rebellionem carnis nihil est curandum de illa ut tenet auctor illius opusculi quod est 64 inter opuscula D. Thomae, cap. *De fluxu libidinis*²¹⁴, Caietanus et Gerson citati in conclusione.

4^o. His temporibus saluberrimum consilium est non cogitare nec timere motus carnis quantum fieri possit nam, ut timens lapsum ex loco edito et lubrico facilius labitur propter imaginationem inclinantem ad motum quem ponit, sic etc. Est autem utilissimus timor peccati sub ratione peccati non cogitato eius obiecto materiali. Ita Gerson et Caietanus citati. Et non solum hi sed etiam omnes Doctores dum agunt de interrogandis

²¹⁴ THOMAS AQ., *tomus decimus septimus... opuscula omnia*, Opusc. 64, (De fluxu libidinis): Roma 1570, fol.104a.

poenitentibus in hac materia commendant maxime brevitatem et verborum decentiam quae cum claritate necessaria servari poterint . Praeterea serenitatem vultus et [f.279] gravitatem paternam omni familiaritate et mutuo aspectu vitato praesertim in confessionibus feminarum ut confessorii societatis Iesu praescribit regula 15 et 16.

2^a CONCLUSIO. *Qui autem expertus esset saepe in similibus occasionibus se lapsum fuisse in consensum peccati mortalis aut ex aliis coniecturis colligit imminere sibi periculum proximum talis consensus, ille tenetur abstinere a praedictis actionibus quamvis alias licitis et necessariis. Ut docent Caietanus, Adrianus, Soto, Navarrus et alii ex citatis in conclusione 1. Et omnes Doctores citati in principio dubii 5. Idque probandum est et explicandum ex dictis in dubio 5.*

Id tamen peculiariter observandum est in praesenti datis tribus aequalibus periculis peccandi mortaliter contingere posse ut unum fugere tenearis sub mortali, aliud autem tantum sub veniali, aliud vero licite possis non fugere idque propter solam inaequalitatem necessitatis aut utilitatis illius rei cum qua est necessario coniunctum tale periculum, v.gr. si urgeat extrema aut gravissima necessitate curandi feminam vel audiendi eius confessionem non erit peccatum mortale imo nec veniale curare vel audire illam etsi gravissimum periculum consensus aliunde immineat praesertim cum tenearis et possis tunc alia via cavere ab illo periculo ut oratione vel poenitentia. At vero sine tali necessitate esset peccatum mortale. Similiter continget aliquem domi habere tam vehementem et proximam occasionem peccandi ut neganda sit illi absolutio nisi velit domo egredi aut excludere talem occasionem quando commode potest et nihilominus si prudenter timeat grave scandalum vel infamiam aut iacturam gravem rei familiaris aut commodae habitationis et victus arbitrio prudentis confessoris computata gravitate damni cum periculo non debet compelli ut domo exeat vel occasionem expellat et similiter in aliis eventibus.

UNIVERSALE PRINCIPIUM HUIUS DOCTRINAE colligitur efficaciter ex D. Thoma, 2.2., q.10, a.9, corpore, fine²¹⁵; Caietano et Armilla *periculum*²¹⁶; Soto, 5 de iustitia, q.1, a.6, concl.2²¹⁷; Castro [f.279v] de iusta haereticorum punitione, cap.17, col.9²¹⁸; Navarrus, cap.3, n.5, litt.E et n^o 14 et 15²¹⁹; Corduba, lib. de casibus, q.4, fol.20 et 29²²⁰.

Et 1^o PROBATUR a priori, quia licet ille *qui amat periculum in illo periturus sit*, Eccli 8 [27], nihilominus qui necessitate contra suam voluntatem coniicitur in periculum, non amat periculum ideoque magis debet sperare a Deo auxilium vitandi illud periculum ac propterea iam respectu illius minus periculum est quam respectu alterius, quod iam D. Augustinus, 16 De Civitate, cap.19²²¹, et lib.22 contra Faustum, cap. 25 et 26²²², dum ait *qui non precavet periculum quod precavere potest potius tentat Deum quam sperat in eo*, et D. Basilius, De constitutione monastica, cap.4²²³, *bellum, inquit, quod praeter voluntatem incidit nobis excipere fortasse necessarium sit, ipsum vero aliquem sibi voluntarium creare summae dementiae est.*

2^o PROBATUR, quia licet non speraretur maius auxilium Dei in tali periculo, adhuc ius in aliquam rem et necessitas illius

²¹⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.10, a.9c: ed.leon. 8,90b.

²¹⁶ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "periculum": Lugduni 1529. BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.351.

²¹⁷ D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, l.5, q.1, a.6: Salamanca, 1569, págs.386.

²¹⁸ ALFONSO DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione libri 3*, l.2, c.17: Paris 1578, col.297-302.

²¹⁹ MARTINUS AB AZPILCUETA, DOCTOR NAVARRUS, *Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.3, n.14 y 15: Venecia 1584, p97s.

²²⁰ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.4: Alcalá de Henares 1592, f.20.29.

²²¹ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 12, 19: CCL 48 522.

²²² AUGUSTINUS, *Contra Faustum manichaeum libri 33*, l.22, c.35s: PL 42,423s.

²²³ BASILIUS MAGNUS, *Constitutiones monasticae*, c.4: Paris 1566, p.489.

minuunt et quandoque auferunt omnino obligationem vitandi periculum peccati, idque praesertim cum post illud periculum maneat in potestate hominis non peccare et post peccatum detur poenitentiae locus.

3° PROBATUR, quia bella ex iusta causa licent, quamvis ex illis immineat saepe grave et proximum periculum non solum corporum sed etiam animorum et licitum est versari ex iusta causa inter infideles, ut in munere legati vel exploratoris.

Ad argumentum in principio propositum negatur minor, nam ut effectus sit voluntarius indirecte necessaria est obligatio vitandi illum, ut in 1^a conclusione dictum est.

Dubitatur 9

Utrum sit peccatum mortale dare causam pollutioni per rem alias illicitam

PRO PARTE AFFIRMATIVA:

ARGUITUR 1°, quia tenetur homo sub mortali curare ne semen diffluat nisi ad finem generationis, quia ipsi commissa est cura generationis et gubernandi illud instrumentum.

CONFIRMATUR 1°, quia sub mortali tenetur [f.280] homo ne amittat aliquod membrum; ergo eadem ratione tenebitur curare ne amittat semen quod quando non est decisum est veluti membrum.

CONFIRMATUR 2°, quia sicut abscissionem membri non excusabit aliud nisi necessitas, ita nec decisionem seminis; sed quando causa est illicita nulla est necessitas illam adhibendi; ergo non excusabitur a mortali decisio seminis.

CONFIRMATUR 3°, quia tenetur homo sub mortali non dare causam gravis damni alterius sine gravi necessitate; ergo tenetur non dare causam gravis damni prolis; sed pollutio extra matrimonium est in grave damnum prolis; ergo.

2° ARGUITUR, quia se exponere[t] gravi periculo consensus qui sine necessitate daret causam illicitam pollutionis praesertim contingentis in vigilia.

3º, quia peccaret mortaliter qui daret causam propter quam in somnis rem haberet cum soluta; sed pollutio est turpior et magis contra naturam quam accessus ad solutam; ergo dare illius causam est peccatum mortale.

4º, urgent peculiariter haec omnia argumenta quando causa illa est causa pollutionis, ut tactus impudicus aut verba obscena, quia in causa per se est volitus etiam effectus. - Alia argumenta vide post 2^{am} conclusionem.

Praemitto duplex esse genus causae pollutionis seu delectationis, nam quaedam causa est per se pertinens ad luxuriam, ut tactus, aspectus et cogitatio occultarum partium; alia causa non ita per se et immediate pertinens ad luxuriam, sed remote ut nimius cibus vel potus.

1^a CONCLUSIO: *Si res quae est causa pollutionis non pertinet immediate et per se ad vitium luxuriae sed alia vitia, quamvis in suo genere sit peccatum veniale et quamvis sciatur eventura esse pollutio, ratione illius causae non erit peccatum mortale dare illam causam pollutionis dummodo pollutio non intendatur et absit periculum proximum consensus.* Exemplum sit nimietas in cibo vel potu tam quoad quantitatem quam quoad qualitatem quae sit peccatum veniale et superbia venialis et defectus praeparationis contra illusiones daemonis, otium, nimius calor lecti et pigritia surgendi, quamvis ex his iam eventura esset pollutio, nullus teneretur sub mortali evitare has causas. Ita docent licet non adeo expresse D. Gregorius, cap. *Testamentum*, § *Sed est*, d.6²²⁴, ubi Glossa *Reatum*; D. Thomas, [f.280v] 3 parte, q.80, a.7, corpore²²⁵; D. Antoninus, 3 p., tit.13, cap.6, § 10²²⁶; Turrecremata, d.6, cap. *Quia vero*, a.1, et, fusius, cap. *Non est*, a.1, eadem d.; Angelus, *Pollutio*, fine, ubi Sylvester, prope finem²²⁷; Tavierna, *Communicare*, q.88, nº 44; Rosela,

²²⁴ c.1, D.6, § 1: Friedberg, 1, 9.

²²⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.80, a.7c: ed.leon. 12,237.

²²⁶ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.13, cap.6, § 10: Lyon, t.3 (1529), f.103c.

²²⁷ *Summa Sylvestrina*, *Pollutio*: Lyon 1593, parte II, p.306.

Communicare, n° 5; Gerson, 2^a p., tit. De pollutione diurna, propos.1²²⁸; Caietanus, tomo 1, opusc. 22²²⁹; Soto, d.12, q.1, a.7, concl.1, col.2²³⁰; Navarrus, cap.16, n°.8²³¹; Ledesma, 1 4ⁱ, q.21, a.7; Medina, lib.1 Summae, cap.14, § 18; Zumel, q.74, a.8, disp.4²³².

Aliqui conclusionem PROBANT, eventus sequutus per accidens ex aliqua causa non addit malitiam aut bonitatem suae causae. - Sed huic rationi aliquid addere oportet, alioqui petit principium vel male infert: constat enim multos effectus per accidens imputari si praevideantur et teneamur illos vitare, ut si ex emissione sagittae praevideatur occisio futura. Quare RESTAT PROBANDUM non esse obligationem vitandi pollutionem praevisam in huiusmodi causa.

Eadem ratione videtur esse diminutum argumentum aliorum, quia, scilicet, qui comedit, bibit aut dormit prosequitur ius quod habet a natura et non debet carere suo iure propter damnum inde sequutum. - Sed oportet explicare quod ius habeamus comedendi aut bibendi plus nimio, ita ut sit venialis culpa quia non magis habemus ius comedendi sine necessitate quam mentiendi. Probantque aliis similibus rationibus.

Igitur INTEGRA RATIO conclusionis haec videtur esse: quia causae huiusmodi ut cibus et potus et aliae quae non sunt de genere luxuriae habent concursum duplicem, alter nullo modo determinatus est ad causandam pollutionem sed indifferens et tantum subserviens immediate virtuti nutritivae quae materiam praeparat pollutioni. Forte est etiam alter concursus immediatus

²²⁸ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio duodecima: Paris 1606, t.2, col.490.

²²⁹ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 22 de pollutione ex auditione confessionis proveniente : Lugduni 1585, pag.114s.

²³⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, p.555.

²³¹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriarum et poenitentium*, c.16, n.8: Venecia, 1584, p.292.

²³² FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV: Salamanca 1594, t.I, p.329s.

et aliquo modo determinatus ad pollutionem ratione caloris et aliarum qualitatum sed ista determinatio est levis et parum faciens ad pollutionem.

Sed OBIICIUNT aliqui: exiguus cibus et potus parum concurrat ad pollutionem; ergo magna copia cibi atque potus multum concurrat. RESPONDEO distinguendo consequentiam: quod attinet ad concursum mediatum subministrando materiam virtuti nutritivae transeat; sed quod attinet ad concursum immediatum et determinatum ad pollutionem, nego consequentiam. Sic enim non dices multam pluviam multum determinare ut terra proferat hanc herbam potius quam illam quia aqua ex se indeterminata est ad hanc vel illam herbam et haec determinatio ex semine et terrae qualitate potius provenit quamvis aquae quantitas et qualitas aliquid iuvet. Porro in hac materia parum determinare censentur huiusmodi causae quia pollutio praecipue causatur eo quod semen sit iam dispositum per virtutem generativam et quia propter infirmitatem aut calorem aut alias qualitates excitatur virtus expulsiva.

Ex his ergo sic ARGUMENTOR PRO CONCLUSIONE: *Non tenemur sub mortali vitare causas remotas et ex se indifferentes pollutionis nec causas quae leviter determinant ad illam; sed huiusmodi sunt omnes causae quae sunt de genere luxuriae, et aliunde obligatio cohibendi pollutionem non est gravis quando non causatur voluntarie, quia tunc ordine et vi ipsius naturae expellitur, et talis modus expellendi ex suo genere non est contra ordinem naturae nec in grave damnum prolis, etenim sufficientissime providetur generationi si nullus voluntarie emittat semen extra matrimonium; ergo non est peccatum mortale illas causas adhibere.*

CONFIRMATUR 1^o, quia praeceptum temperantiae non est adeo rigidum, quia malitia luxuriae non est tanta, ut supra q.73, a.5; esset autem rigidissimum praeceptum si teneretur quis sub mortali vitare eiusmodi causas venialiter malas.

CONFIRMATUR 2^o, quia non est peccatum mortale excedere in cibo aut potu cum leve detrimento salutis; ergo non erit peccatum mortale cum levi detrimento seminis.

Notandum tamen est, in talibus peccatis venialibus non solum esse malitiam gulae, pigritiae, vanagloriae aut aliorum vitiorum sed esse peculiarem malitiam venialem luxuriae quia aliquomodo causant pollutionem sine necessitate.

2^a CONCLUSIO: *Gula aut superbia aut alia peccata quae non sunt in genere luxuriae, quamvis sint peccata mortalia, nihilominus non habebunt novam malitiam mortalem quia in illis praevisa sit pollutio.*

PROBATUR eadem ratione qua praecedens conclusio, quia, scilicet etiamsi usque ad ebrietatem aliquis bibat et alter superbiat tribuens suis viribus castitatem adhuc istae causae non tam causabunt pollutionem, quia aliae causae naturales vel cogitationes aut actiones de genere luxuriae quia non est tanta obligatio vitant-[f.281v] -di pollutionem non intentam, ut supra dictum est.

Videbitur alicui hanc conclusionem esse contra S. Thoma, 3 p., q.80, a.7, corpore²³³; D. Antoninus, 3 p., tit.13, cap.6, § 10²³⁴, cum Petro de Tarantasia et Ricardo; Sotus, 4, d.12, q.1, a.7²³⁵; Ledesma, 1 4ⁱ, q.21, a.7 in expositione litterali D.Thomae; et contra alios Doctores citatos in conclusione 1, dicentes pollutionem procedentem ex mortali gula impedire sumptionem Eucharistiae. Veruntamen ii Doctores non intendunt tale peccatum esse mortale in genere luxuriae, nec hoc pertinebat ad eorum institutum, quia quodlibet peccatum mortale impedit Eucharistiae sumptionem etiamsi non sit peccatum luxuriae. Idem dicendum est de negligentia praeparandi se ad devotionem et orationem quam aliquando esse peccatum mortale et causam pollutionis docet D. Thomas, Soto, Ledesma et alii citati, quae quidem negligentia, si fuerit respectu aliorum praeceptorum circa Eucharistiam, quia, scilicet non praemisit confessionem, non habebit malitiam mortalem in genere luxuriae, poterit tamen

²³³ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.80, a.7c: ed.leon. 12,237.

²³⁴ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.13, cap.6, § 10: Lyon, t.3 (1529), f.103c.

²³⁵ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, p.555a.

eadem negligentia esse mortalis in genere luxuriae si propter pericula proxima consentiendi in hoc vitium tenearis orare; et aliter, ut existimo, non potest habere mortalem malitiam luxuriae.

Contra duas praecedentes conclusiones sentiunt qui universaliter docent non satis esse, causam esse licitam, ut excusetur a peccato mortali ille qui causam dat pollutioni sed requiri etiam causam esse urgentem et necessariam. Ita Medina, q.74, a.6 ad 3 et 4²³⁶; Zumel, ibi, a.8, disp.4 ad argumenta Manuel Rodriguez cap.211²³⁷, et ait esse indubitam hanc sententiam²³⁸; Navarra, 2 de restitutione, cap.3, n^o.140²³⁹, unde in eodem libro 2, cap.1, n^o 44, ait esse peccatum mortalem gulam aut equitatum quae ex genere esset venialis si esset periculum pollutionis perinde ut est peccatum mortale si adsit periculum homicidii²⁴⁰; et Armilla, *pollutio*, n^o 1²⁴¹, universaliter damnat peccati mortalis omnem qui dat causam pollutioni quando non dat operam rei licitae. Horum fundamenta facile diluentur ex infra dicendis. Rursus iuniores aliqui quasi explicantes et limitantes praecedentem sententiam asserunt semper esse peccatum mortale dare causam pollutioni praevisae per illas res quae in genere luxuriae sunt culpae quamvis ex suo genere sunt veniales, ut tactus, manus aut pedes ex delectatione sensus, et aspectus aut verba minus casta. Favet huic sententiae *Margarita confessorum* in 6^o praecepto, fol.90²⁴², universaliter dicens esse

²³⁶ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6 ad 3 et 4: Venecia 1602, p.393.

²³⁷ MANUEL RODRIGUEZ, *Summa de casos de consciencia*, cap.CCXI De luxuria cometida en el pensamiento con delectación morosa: Salamanca 1599.

²³⁸ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.4: Salamanca 1594, t.I, p.394.

²³⁹ PETRUS A NAVARRA, *De ablatorum restitutione in foro conscientiae*, lib.2, c.3, n.140: Lyon 1593, pág.209.

²⁴⁰ PETRUS A NAVARRA, *De ablatorum restitutione in foro conscientiae*, lib.1, c.1, n.44: Lyon 1593, pág.30.

²⁴¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.355.

²⁴² *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

peccatum mortale tangere aliquem cum periculo pollutionis. [f.282]

Pro hac sententia proferunt multos auctores, sed hi omnes parum auctoritatis tribuunt. - Primo afferunt Medina, Zumel, Navarram et Armilla nuper citatos sed hi, ut reiiciendi sunt quatenus negant 1^{am} conclusionem, ita etiam quoad aliud habent parum auctoritatis, quia eadem ratione nituntur quoad utrumque. Afferunt deinde Soto, d.12, q.1, a.7, col.5²⁴³; Navarrum, cap.16, n^o 6 et 7 et 10²⁴⁴; Corduba, 2 Quaestionum, q.3, col. penultima, quia dicunt universaliter esse peccatum mortale dare causam pollutioni, et postea solum excipiunt quando causa est necessaria aut utilis. Verumtamen ex illis non colligitur efficaciter haec sententia, tum quia licet ibi solum excipiant causam necessariam aut utilem sed non dicunt eam tantum esse excipiendam; imo Sotus et Navarro citati in 1^a conclusione excipiunt etiam gulam venialiter malam, quare non possumus inde colligere quid responderent si interrogarentur de tactu venialiter turpi.

Tribuunt praeterea haec sententia Gersoni, tractatu de pollutione diurna, propositione 10²⁴⁵, alphabeto 38 vel 37, litt. h, verumtamen Gerson ibi potius videtur sentire oppositum si bene inspiciatur. Tribuitur haec sententia Caietano, *pollutio*, fine, sed ille expresse loquitur ibi de causis pollutionis quae ex genere sunt mortales, ut de cogitationibus aut verbis turpibus²⁴⁶.

Tribuitur etiam Sylvestri, *delectatio*, q.2, part.4 prope finem²⁴⁷, quia dicit esse peccatum mortale non repellere turpes cogitationes et delectationes quando imminet periculum pollutio-

²⁴³ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.1, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, p.556b.

²⁴⁴ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriarum et poenitentium*, c.16, n.6,7,10: Venecia, 1584, p.289,290,293.

²⁴⁵ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio duodecima: Paris 1606, t.2, col.493s.

²⁴⁶ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "pollutio" : Lugduni 1529.

²⁴⁷ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 2,4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

nis, et eadem ratione tribui posset Armillae, *delectatio*, n^o 2²⁴⁸. Verum longe diversa ratio est delectationis et cogitationis simpliciter turpis quae non est in aspectu, tactu aut verbis leviter turpibus, ut infra dubio 19 et sequentibus.

Tribuitur etiam universaliter iis Doctoribus qui docent peccare mortaliter viduam qui [quae] cogitat et delectatur de actu coniugali praeterito si adsit periculum pollutionis, ut docet Caietanus, opusculo 14 de delectatione morosa, dicto 2, fine²⁴⁹; Angelus, *cogitatio*, n^o 2 et alii citandi infra, dubio 13. - Verumtamen non est eadem ratio, quia cogitatio et delectatio de actu coniugali est magnae virtutis ad eliciendam pollutionem, ut dicitur ibidem, non sic aspectus aut actus leviter turpis. [f.282v]

Eadem ratione non bene colligunt suam sententiam ex iis Doctoribus qui dicunt tactus impudicos qui inter coniuges licent ex genere, esse peccata mortalia si adsit periculum pollutionis, ut docent Soto, d.31 in fine²⁵⁰; Ledesma, 2 4¹, q.51 fine; *Margarita confessorum* in 6^o praecepto, fol.88²⁵¹; Veratus, 3 parte *Speculi coniugiorum*, a.15, fine, et communiter Doctores.

Proderit haec retulisse, 1^o, quia interim soluta sunt argumenta quae ex veris conclusionibus et a nobis traditis adduci possunt contra sequentem conclusionem; 2^o, quia hi omnes Doctores confirmabunt conclusionem 4^{am}; 3^o, ut liberius mihi liceat in 3^a conclusione dicere quid sentiant.

3^a CONCLUSIO: *tactus, visus et verba leviter turpia ut tactus manus, aut visus aliquantulum libidinosus manus, aut oris vel modus indecens dormiendi, aut nuditas non sunt peccata mortalia quamvis praesciatur eventura esse pollutio ex eorum occasione et quamvis sola levitas animi et nulla necessitas aut utilitas invitet*

²⁴⁸ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111, n.2.

²⁴⁹ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 14 de delectatione morosa, dubium 3: Lugduni 1585, pag.89b.

²⁵⁰ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.2, d.31, fine: Salamanca, 1557, p.200.

²⁵¹ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

ad illam, dummodo non intendatur pollutio nec sit periculum proximum consensus.

PROBATUR eadem ratione qua probata est 1^a conclusio: quia scilicet eiusmodi actiones quae sunt leviter turpes non sunt simpliciter causa pollutionis, sed tantum quodammodo et pollutio tunc causatur ab alia causa naturali, et nullus tenetur sub mortali impedire pollutionem eventuram ex causa naturali nec tenetur tam rigide vitare leviores causas pollutionis, ut in 1^a conclusione dictum est.

Hanc conclusionem aliqui adscribunt Sylvestro et Angelo, *pollutio*, prope finem, quia dicunt pollutionem esse venialem culpam quando procedit ex veniali causa ut ex cogitatione vel auditione non morosa. - Sed ii Doctores dum negant morositatem satis innuunt se loqui de causa quae ideo est venialis quia est secundum quid libera, non quia est secundum quid turpis; nostra autem conclusio agit de causa pollutionis quae est secundum quid turpis sed voluntaria et libera simpliciter.

Sunt etiam qui existiment ita limitandam esse conclusionem ut sit peccatum mortale perseverare in praedictis rebus secundum quid turpibus quando sentitur vehemens commotio appetitus et periculum proximum pollutionis quamvis non immineat periculum consensus. Et probant quia homo tenetur sub mortali cohibere appetitum, ut dictum est supra, dubio 5, dicto 2; ergo ut cohibeat tenetur vitare has causas. Respondeo: antecedens ibidem limitatum esse ut teneatur homo cohibere appetitum a pollutione quando illa provenit ex delectatione graviter turpi ex se vel provenit ex alia simili causa. Et huius limitationis ratio [f.283] partim reddita est in dubio 5, partim ex hoc dubio constat.

4^a CONCLUSIO: *Si actiones libidinosae tales sint ut notabiliter conducant ad pollutionem ex se et propria virtute, tunc erit peccatum mortale illas exercere cum periculo pollutionis sine alia necessitate urgente.*

PROBATUR, quia tunc homo simpliciter causat et elicit pollutionem, quia per se et simpliciter cosequitur ex talibus actionibus et aliunde non excusat necessitas; est autem simpliciter contra rationem movere illud instrumentum generationis nisi in

matrimonio. - CONFIRMATUR 1^o sicut probata est 1^a conclusio dubii 7ⁱ. - CONFIRMATUR 2^o, ex communi sententia Doctorum dicentium peccare mortaliter coniugem qui cum periculo pollutionis cogitat et delectatur de actu matrimonii quamvis citra hoc periculum non esset peccatum mortale: infra, dubio 15.

Ut melius intelligantur praecedentes conclusiones observa ut sit peccatum mortale causam dare pollutionis parum referre quod res quae est causa sit licita ex se aut sit peccatum, nec quod sit de genere luxuriae, nam ut constat ex dictis, res quae ex genere est venialis ut gula, aut ex genere mortalis, ut ebrietas, non habebit mortalem malitiam luxuriae licet in ea prevideatur pollutio, quia non est notabiliter causa; e contra vero, inter coniuges licet aspectus et tactus pudendorum et tamen erunt peccatum mortale si adsit periculum mollitiei, idque quia sunt notabiliter causa pollutionis. Illud tamen certum est inter solutos nullum actum habere malitiam mortalem eo quod sit causa pollutionis nisi idem actus inter solutos sit mortalis etiam secluso periculo pollutionis, quia talis actus erit notabiliter causa pollutionis et non alter; de quo infra, dubio 21.

Ex his RESPONDEO ad argumenta in principio proposita quatenus sunt contra tres priores conclusiones.

Ad 1^{um} RESPONDEO hominem teneri sub mortali curare ne semen voluntarie diffluat motum animali motu cogitationis et delectationis verum non tenetur sub mortali curare ne diffluat emissum a virtute expulsiva, quia hoc aut nullum aut exiguum detrimentum affert proli, ut supra dictum est; at vero quando causae pollutionis non sunt de genere luxuriae aut secundum quid habent rationem luxuriae tunc expulsio seminis absolute causatur a virtute expulsiva et tantum secundum quid causatur ab illis causis et ideo non continet malitiam mortalem. Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO semen se habere sicut partes hominis quae amitti et adquiri possunt per nutritionem, et sicut non tenetur homo retinere [283v] partes corporis quae ut excrementa diffluunt virtute naturali, ita non tenetur sub mortali retinere semen quod virtute primarum qualitatum expellitur et ad quam expulsionem non concurrat nisi secundum quid illa causa quae denuo adhibetur.

Et hinc constat SOLUTIO 2^{ae} confirmationis. Ad 3^{am} confirmationem RESPONDEO solam pollutionem simpliciter causatam a libera voluntate hominis afferre notabile damnum prolis; alia autem quae non causatur notabiliter nisi a virtute expulsiva, saepe non est in damnum sed in commodum prolis, et semper ex suo genere non est in damnum notabile.

Ad 2^{um} RESPONDEO non semper esse illud periculum, esset tamen non raro, et tunc teneretur homo sub mortali abstinere ab illa causa.

Ad 3^{um} RESPONDEO antecedens propterea verum esse quia numquam potest dari illa causa nisi libere faciendo aliquid per se et simpliciter provocans ad illud effectum et similiter esset peccatum mortale facere aliquid per se et simpliciter provocativum pollutionis. RESPONDEO 2^o pollutionem proveniente[m] praecipue ex naturalibus causis et secundum quid tantum ex causa libera minus turpem esse quam accessus ad solutam.

Ad 4^{um} RESPONDEO: quando causae sunt per se et notabiliter causae concludit argumentum, ut dictum est in 4^a conclusione; secus quando licet sint causae per se, non causant notabiliter sed secundum quid, ut dictum est in 3^a conclusione.

DICES: non ergo tenebitur homo sub mortali reiicere turpes cogitationes inducentes periculum pollutionis sine periculo consensus, quia illam pollutionem non causat voluntas hominis. RESPONDEO: homo tenetur gubernare semen per ea media quae illi subiiciuntur; subiiciuntur autem homini saltem politice cogitationes et delectationes, at vero virtus expulsiva et primae qualitates non subiiciuntur hoc modo, et ideo non tenetur illas impedire, praesertim quia quod illae qualitates agunt non est contra finem generationis sed ad naturam alleviandam, ut dictum est.

Restat ultima DIFFICULTAS utrum idem dicendum sit de homine dante causam delectationis carnalis aut distillationis quod dictum est de dante causam pollutionis. RESPONDEO: 1^o, certum est non esse peccatum mortale dare causam delectationis turpis in appetitu aut distillationis per illas res et illa necessitate aut utilitate quibus non est peccatum mortale dare causam pollutionis, quod

ex dictis colligitur aperte argumento a maiori - semper intelligo secluso periculo consensus.

2°. Per eas res et cum ea inutilitate qua peccatum mortale est dare causam [f.284] pollutionis est etiam peccatum mortale dare causam delectationis carnalis aut notabilis distillationis aut commotionem spirituum vitalium servientium generationi, tum quia haec delectatio et commotio est notabiliter turpis veluti inchoata pollutio, tum etiam quia fere omnes actiones quae ex se notabiliter conducunt ad haec sunt graviter turpes in genere luxuriae et ideo ratione sui sunt peccata mortalia. Excipe coniugatos, in quibus non erit peccatum mortale per tales actiones dare causam delectationis de actu matrimonii cogitato, ut aperte constat nec erit peccatum mortale incurrere in distillationes praevistas, quia hoc non est grave damnum generationis in tali statu et aliunde licent coniugatis eiusmodi delectationes et commotiones spirituum quae comitantur tales distillationes et alioqui rigide ageretur cum illo statu.

Dubitatur 10

Utrum sit peccatum mortale desiderare vel amare aliquid sub conditione auferente eius malitiam mortalem

Exemplum sit utrum liceat desiderare et amare cogitatum accessum ad feminam sub conditione «si esset propria uxor». Utrum sub conditione simili liceret delectatio, non disputo modo, quia diversa est ratio delectationis, ut infra, dubio 11.

1^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale consensus vel desiderium seu complacentia illius actus qui est peccatum mortale si amatur aut desideratur dependenter a conditione quae aufert eius malitiam mortalem ac proinde non peccaret mortaliter qui vellet accedere ad aliquam si esset propria uxor et non aliter et optaret quod esset sua uxor ut hoc sibi liceret (loquor semper sublato periculo consentiendi in aliud peccatum mortale).*

Ita docet Paludanus, 4, d.9, q.3, a.1; Caietanus, opusculo 14 de delectatione morosa, dubio 1²⁵², et *delectatio*, p.2, § *Secundo quod*²⁵³; Armilla, *delectatio*, n.4²⁵⁴; Hadrianus, quodlibeto 10, a.2 prope initium in 2^o argumento cui non contradicit sed potius valde favet in reliquo articulo praesertim in corollario 1^{ae} conclusionis; Gabriel, 4, d.15, q.13, a.3, dub.3²⁵⁵; Gerson, p.2, prope initium, scilicet circa finem regularum moralium²⁵⁶, alphabeto 24, litt.G; Navarro, cap.16, n^o9, fine²⁵⁷; Medina, q.74, a.8, dub.4²⁵⁸, ubi Zumel, post disp.4, dub.1²⁵⁹; Corduba, 1^o Quaestionum, q.23, dub.13, fine. [f.284v]

PROBATUR, quia ille actus est de obiecto licito, nam desiderium non absolutum sed conditionatum aut velleitas ferri potest in unam formalitatem praecisam ab alia quamvis illae formalitates in re non possint ad invicem separari unde potest voluntas per velleitatem aut conditionale desiderium amare accessum ad talem feminam praecisa ratione turpis et solum accepta naturali delectatione illius et utilitate ad prolem habendam vel addita conditione *si esset propria uxor*, et in huiusmodi obiectis nihil amatur mali. CONFIRMATUR, quia non minus malum est uti rebus alienis invito domino quam accedere ad non suam; sed non est peccatum mortale desiderium conditionale seu vellei-

²⁵² THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 14 de delectatione morosa, dub.1: Lugduni 1585, pag.89.

²⁵³ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" p.2, § *Secundo quod*: Lugduni 1529.

²⁵⁴ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111v, n.4.

²⁵⁵ GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, l.4, q.15, a.3, dub.3: Tubinga 1977, 4/2, p.309s.

²⁵⁶ I. GERSON, *Regulae morales*, § Nullum desiderium: Paris 1606, t.2, col.12.

²⁵⁷ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.9: Venecia, 1584, p.293.

²⁵⁸ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.4: Venecia 1602, p.395a.

²⁵⁹ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV, dub.1: Salamanca 1594, t.I, p.331s.

tas induendi se alienis vestibus aut vescendi alienis cibis dummodo licite haberentur; ergo. - Idem argumentum fieri potest de illo qui optat occisionem inimici sub conditione *si esset iudex et posset secundum ius*, et de optante carnes in die ieiunii sub conditione *si non esset dies ieiunii*, et de religioso optante exire a claustro aut deponere habitum si non esset professus.

Notanda tamen sunt tria. 1^{um}, circa modum loquendi, Gerson ait sufficere addidisse conditionem *habitualmente*, quod ita accipiendum est ut *habitualmente* idem sit quod *virtualiter*, et non sit idem quod *habere habitum* apponendi conditionem, etenim licet quis habeat habitum quo potest adhibere conditionem auferentem malitiam, si tamen actu non apponat illam conditionem nec formaliter nec virtualiter, erit peccatum mortale. Hanc conclusionem melius intelliges si recolas dicta in q.18, a.2, dub.2, et quae dicemus infra, q.79, a.1, dub.7.

2^o observat Caietanus in citato opusculo 14, dubio 1, licere desiderium delectationis cuiusque sub eadem conditione sub qua licet desiderium illius actus ad quem consequitur delectatio, et notanda sunt verba, quia non licet delectatio semper, ut dicitur in dubio sequenti, sed licet desiderium delectationis.

3^o notandum est huiusmodi actus fere numquam esse sine peccato veniali propter inutilitatem et periculum quod habent saltem remotum. Saepe etiam erunt peccata mortalia propter periculum proximum consensus in actum malum vel quia ex illis sequitur delectatio, ut dicitur in dubio sequenti. [f.285]

Sed obiicies ex conclusione 1 non esse peccatum mortale consensum et desiderium conditionale odii Dei vel destruendi Deum si hoc esset possibile et honestum, vel inducendi alios ad haeresim si liceret, vel sodomiae aut bestialitatis si liceret; haec autem videntur esse valde absurda. RESPONDEO negando sequentem, cuius ratio redditur in sequente conclusione.

2^a CONCLUSIO: *quando obiectum amatum est intrinsece malum non licet illud velle quamvis addatur ibi conditio negans de illo malitiam.*

Ita docet late et bene Hadrianus, quodlibeto 10, a,2, praesertim conclusione 1 et eius corollario, quamvis sub aliis verbis: ait enim non licere desiderare huiusmodi conditionalia circa ea quae sunt inmutabiliter et indispensabiliter bona; idem fere Caietanus, *cogitatio*²⁶⁰.

PROBATUR efficaciter, quia si obiectum amatum est essentialiter malum non potest intelligi sine malitia inclusa in recto et ut aliquid essenziale illius; ergo non potest ipsum amari quin etiam ametur malitia. CONFIRMATUR, quia si in odio Dei aut in alio intrinsece malo non habes malitiam amabis tantum rationem aliquam communem et superiorem actus humani aut odii aut quid simile sed in specie odium Dei non amabis.

Sed URGEBIS: iam, per conditionem appositam separatur ab illo obiecto malitia; ergo licite amatur. RESPONDEO separationem hanc fieri posse duplici modo, vel per solam negationem vel per praecissionem sive sit simul cum negatione sive non. Exemplum sit haec conditionalis: *si animal non esset rationalis vel cum intelligo animal non intellecto rationali*: tunc enim amare possum animal non amato rationali. Sic etiam, cum apud te dicis *si accessus ad hanc feminam non esset turpis sed honestus quia haec esset propria uxor* intelligis et amas copulam in cuius ratione intrinseca non includitur ratio peccati et ideo licitus est actus quia obiectum volitum praescinditur a malitia et hoc est quod exigitur in 1^a conclusione et quod satis est ut verificentur eius exempla. At vero in exemplis 2^{ae} conclusionis non potest obiectum seu actus volitus praescindi a malitia, et solum separatur ab illis malitia per conditionem negantem ac proinde involventem contradictionem. Ut enim contradictionem includit *si homo esset irrationalis*, ita etiam haec: *si odium Dei esset honestum*. Idem est de reliquis exemplis [f.285v] adductis ante conclusionem 2^{am}.

Et hinc sumitur alia ratio varia pro conclusione 2^a, quia qui complacet in his obiectis intrinsece malis sub conditione negante de eis malitiam complacet in maiori malo quam si complaceret in

²⁶⁰ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "cogitatio" : Lugduni 1529.

obiecto malo absolute et sine conditione, nam eo ipso virtualiter complacet in destructione implicatoria boni oppositi, quae destructio maius malum est quam non habere ipsum hominem talem actum bonum sed potius habere actum malum. EXPLICATUR exemplo: qui complacet in odio Dei sub conditione *si liceret*, complacet virtualiter in hoc quod amor Dei non esset virtus maxime obligans et quod Deus non esset summum bonum et hoc peius est quam si complaceret in eo quod ipse non haberet amorem Dei sed odium quamvis esset malum, sicut peius est velle aliquem principem deiicere a potestate sibi debita quam velle non obedire illi, ut bene Hadrianus citatus.

Praedicta accommodari possunt innumeris actibus conditionalibus qui non licent sicut non licet bene [velle] ut Deus non esset omnipotens nec omnia scire nec esset supremus Dominus, sub conditione *si hoc esset secundum virtutem et iustitiam* nec velle ut aliquid liceat contra iustitiam aut contra temperantiam aut velle ut regula agendorum esset appetitus idque non esset contra rationem aut velle ut Deus praeberet licentiam sequendi in omnibus appetitum aut non obediendi praeceptis et similes aliae velleitates.

Dubitatur 11

Utrum liceat delectatio praesens de his obiectis cogitatis quae licet desiderare sub conditione

Exemplum: utrum liceat religioso aut soluto delectari de accessu ad feminam cogitato sub conditione *si esset propria uxor*.

1^o. Communiter Doctores dicunt esse peccatum mortale talem delectationem. Ita Durandus, 2, d.24, q.6, fine²⁶¹; Caetano, Armilla, Navarro et Medina, locis citatis in dubio praecedenti, conclusione 1^a; Zumel, q.74, a.8 post disp.4, dubio 1²⁶²;

²⁶¹ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.6: Amberes 1566, fol. 173d.

²⁶² FRANCISCUS ZUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV, dub.1, dico 2: Salamanca 1594, t.I, p.331b.

Valentia, disp.6, q.4, puncto 4²⁶³. Favet D. Thomas, q.74, a.8 ad 4.

2°. Alii Doctores dicunt esse peccatum mortale delectari de re quae ex natura rei est mala [f.286] et naturali iure prohibita, ut fornicatio, verum non esse peccatum mortale delectari de re quae solo iure positivo prohibetur, ut de ludi talorum aut de comedendis carnibus in quadragessima. Ita docet Sylvester, *ludus*, q.4²⁶⁴; Baptista, *ibidem*, § 2, quem refert et sequitur Gabriel, 4, d.15, q.13, a.3, dub.3²⁶⁵; Ledesma 1 4ⁱ, q.24, a.7, dub.5. His consonant Gerson, 2 p., prope initium, videlicet in regulis moralibus circa finem²⁶⁶, alphabeto 24 littera G fine; Corduba, 1 Quaestionum, q.23, dubio 13, fine. Sed hi Doctores melius loquuntur, ut dicemus infra.

3°. Alii Doctores videntur existimare esse peccatum mortale delectationem de iis etiam rebus quae solo positivo iure prohibentur. Sic enim Johannes de Medina, C. de restitutione, q.21²⁶⁷, ait esse peccatum mortale delectari de esu carnis cogitato in die veneris cui favere videntur hi Doctores qui sine discrimine asserunt esse peccatum mortale delectari de re quae est peccatum mortale qui adducti sunt in dubio 2.

Quod autem delectatio, etiamsi addatur conditio, sit peccatum in iis rebus quae iure naturae prohibentur, probant Caietanus et alii quia, quamvis desiderium possit esse conditionale, delectatio autem non potest esse conditionalis, quod probat 1° quia, eo ipso quod delectatio inest voluntarie est simpliciter et absolute delectatio; ergo non est conditionalis. Confirmat 1°, quia conditionalis nihil ponit in esse at vero huiusmodi delectatio ponitur in esse absolute; ergo non est conditionalis. Confirmatur 2°, quia iam delectatio est obiectum simpliciter et absolute

²⁶³ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, 1.2, disp.6, q.4, puncto 4: Lyon 1603, t.2, col.578.

²⁶⁴ *Summa Sylvestrina, Ludus 4*: Lyon 1593, parte II, p.158b.

²⁶⁵ GABRIELIS BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 1.4, q.15, a.3, dub.3: Tubinga 1977, 4/2, p.309s.

²⁶⁶ I. GERSON, *Regulae morales*, § Dans operam: Paris 1606, t.2, col.8.

²⁶⁷ J. DE MEDINA, *Codex de restitutione*, c.21: Salamanca 1550, 67.

volitum sine ulla conditione. Confirmatur 3^o, ex Durando, quia delectatio versatur circa rem ut est in se, et non praescindit unam formalitatem ab alia.

Verum haec sententia explicatione indiget. Pro qua SUPPONO 1^o, actus voluntatis non esse conditionatos nisi ratione obiecti, quia versantur circa obiectum conditionatum ut obiectum quod repraesentatur hac propositione: *si non essem religiosus licite possiderem divitias*. Hoc inquam obiectum volitum sit voluntate complacentiae et haec voluntas dicitur conditionalis.

SUPPONO 2^o, non solum in appetitu sensitivo sed etiam in voluntate re- [f.286v] -periri delectationem, quae delectatio dicitur gaudium, ut bene D. Thomas, supra, q.31, a.4²⁶⁸.

3^o SUPPONO in voluntate possibilem esse delectationem seu gaudium de obiecto conditionato, quod proba 1^o a priori quia, gaudium seu delectatio provenit ex consequitione boni convenientis et cognitione huius consequitionis; est autem genus consequitionis sufficiens ad delectationem cognitio boni, ut bene D. Thomas supra, q.32, a.1 et 3²⁶⁹; sed bonum conditione affectum et praecisum a malitia potest cognosci ab intellectu; ergo sub eadem praecisione et conditione possidebitur atque de bono sic possesso gaudebit et delectabitur voluntas.

CONFIRMATUR 1^o, quia nulla est sufficiens ratio propter quam amor et desiderium inefficax possit esse de obiecto conditionato, non vero delectatio voluntatis.

CONFIRMATUR 2^o, quia experimur nos aliquando gaudere de obiectis conditionatis, ut dum cogitamus quid a nobis statuendum foret si regiam vel pontificiam dignitatem obtineremus, de quo tamen non delectamur quasi de re nobis praesenti.

Hinc constat fundamentum Caietani et Durandi falsum esse si intelligatur de gaudio seu delectatione voluntatis, et ad eorum argumentum RESPONDEO 1^o, retorquendo illud contra eosdem

²⁶⁸ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2, q.31, a.4: ed.leon. 6,218.

²⁶⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2, q.32, a.1 y 3: ed.leon. 6, 223.226.

Doctores, nam similiter probarent desiderium vel amorem non esse conditionalem quia existit simpliciter et absolute tale desiderium et amor.

2^o RESPONDEO: licet haec sit delectatio absolute et simpliciter nihilominus est de obiecto conditionato, et sufficit ut sit conditionalis eo modo quo conditionalis est amor.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO: conditionalis nihil ponit in esse ex parte obiecti, nihilominus ipse actus conditionalis absolute ponitur in esse sive ille actus sit proprio intellectus sive amor aut delectatio voluntatis.

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: delectatio voluntatis est obiectum volitum, et ut sic, non est obiectum conditionale, poterit tamen esse actus conditionalis de alio obiecto conditionali et ut sic non est accipienda ut obiectum sed ut volitio.

Ad 3^{am} confirmationem NEGATUR antecedens si agat de gaudio voluntatis.

Sit ergo 1^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale habere in voluntate delectationem aut gaudium de illis obiectis conditionatis quae licite desiderantur secundum dicta [f.287] in dubio praecedenti (intellige secluso periculo proximo consentiendi in aliquid absolute turpe)*. Haec conclusio, ut existimo, non est contra Doctores in principio citatos.

Et efficaciter PROBATUR quia huiusmodi delectatio aut gaudium conditionale possibile est, ut nuper probatum est et non continet maiorem malitiam quam desiderium conditionale, nam malitia sumitur ab obiecto, versatur autem circa idem prorsus obiectum.

CONFIRMATUR 1^o, quia fingi non potest in huiusmodi delectatione modum tendendi dissonare a recta ratione, nam secundum rectam rationem licet quiescere ut in bono possesso in omni illo bono quod licet amare et desiderare, nam desiderium est ut motus qui ordinatur ex natura sua ad quietem.

CONFIRMATUR 2^o, quia non peccat mortaliter laicus qui modo gaudet de ordinibus a se conferendis si esset episcopus et de

legibus ferendis si esset rex, cum tamen peccatum mortale esset si modo eos actus tentaret exercere; ergo similiter non peccabit qui per voluntatem gaudet de actu matrimonii exercendo a se si esset coniugatus, quamvis modo esset illi peccatum mortale quia non est coniugatus.

CONFIRMATUR 3^o, quia gaudemus de iniuriis illatis Christo Domino et martyribus non quatenus peccata fuerunt sed quatenus ex illis resultavit nostra salus quas tamen ut non liceret voluntate absoluta et efficaci velle ita non liceret de illis complacere sine ulla conditione et praecisione; ergo gaudium voluntatis quandoque licite versatur circa unam formalitatem quae sola cognitione praescinditur ab alia.

2^a CONCLUSIO: *peccatum mortale est velle in appetitu sensitivo praesentem delectationem sensibilem, ut si cogites concubitum sub conditione si liceret aut si contraxisses matrimonium.* Hanc conclusionem intendunt Doctores initio citati idque indicat notionem delectationis quod frequentius tribuitur appetitui sensitivo sicut gaudium voluntati. Sed magis conclusionem innuunt Gerson et Corduba in principio citati.

PROBATUR 1^o, quia delectatio illa quae in appetitu sensitivo resultat ex concubitu cogitato provenit praesertim ex vehementi commotione spirituum vitalium subservientium generationi et semine, quare illa delectatio est quasi inchoato coitu, praesenti sicut de aspectibus et tactibus turpibus dicemus infra, dubio 20 [f.287v] et sequentibus.

PROBATUR 2^o, quia actiones appetitus sensitivi non sunt conditionales, non enim feruntur in obiecta conditionalia, quia non feruntur in obiecta nisi ut proponuntur ab imaginativa aut aestimativa; haec autem aestimativa non potest apponere conditiones nam in conditionalibus reperitur affirmatio et negatio saltem apprehensiva in antecedenti et consequenti, et praeterea in copula conditionalis est vis illativa; at vero imaginativa non potest affirmare aut negare aut inferre aut praescindere rationem communem a particulari; ergo quoties appetitus sensitivus delectatur de cogitato concubitu cum femina delectatur de illo independenter a conditione matrimonii ex vi actus quamvis illa conditio

apponatur ab homine per intellectum; ergo talem delectationem velle erit peccatum mortale secundum dicta dub. 1.

CONFIRMATUR quia, licet daremus aliquos actus conditionales esse in appetitu sensitivo peculiari tamen ratione negandum esset de concubitu cogitato delectationem esse unquam conditionalem, quia quando per imaginativam proponitur concubitus cum femina proponitur appetitui totum quod potest illum movere ad amorem et delectationem omnino independenter a conditione matrimonii sicut movet bruta; ergo manebit semper independenter a conditione matrimonii. PROBATUR consequentia quia non est in nostra potestate cohibere appetitum ab actu ex suppositione quod illi proponitur per imaginativam obiectum sufficiens ad illum actum.

Sed contra hanc rationem OBIICIUNT aliqui 1^o, quia ex necessitate appetitus operantis sine libertate potius colligitur quod si repraesentetur appetitui per aestimativam conditio matrimonii simul cum concubitu et per modum unius, amatur etiam per modum unius quia appetitus non potest aliud amare nisi quod proponitur. RESPONDEO 1^o: quamvis supponamus conditionem matrimonii repraesentari posse per aestimativam et repraesentari quasi coniunctam cum concubitu, nihilominus non potest aestimativa efficere ut conditio illa auferat a concubitu repraesentato virtutem movendi appetitum pleno affectu, ut ex vi praesentis delectationis delectaretur appetitus de concubitu etiam si non adesset conditio matrimonii, sicut si cani praebeas carnem [f.288] coniunctam pani, quamvis canis utrumque simul appetat, nihilominus ita appetit singulariter vi praesentis appetitus quamvis separentur avidè rapiat carnem sine pane. RESPONDEO 2^o, conditionem matrimonii non posse ab aestimativa repraesentari, quia est res spiritualis, scilicet contractus ex mutuo consensu in ordine ad prolem, et quamvis ab aestimativa repraesentetur aliquid proportionatum matrimonio, nihil refert ad honestatem actionis ut in universali probatum est supra, q.71, a.2, dubio 3²⁷⁰. 3^o RESPONDEO: quamvis haec conditio matrimonii repraesentaretur ab aestimativa subesse matrimonii caeterum subesse conditionis non

²⁷⁰ *ArchTeolGran*, 49 (1986) 287-292.

posset repraesentari quia conditionis ratio est ut cum illa ametur obiectum et illa sublata non ametur et hoc non potest appraehendere aestimativa, ut in 2^a ratione dictum est.

OBIICIENS 2^o, quia saltem poterit aestimativa repraesentare rationem communem concubitus abstrahentem ab illo qui est in matrimonio et a concubitu vago et in illa ratione communi sine turpitudine delectabitur appetitus. RESPONDEO dato antecedenti negando consequentiam, quia concubitus, in sua ratione praecisa habet turpitudinem sed excusabilem per conditionem adiunctam, videlicet per matrimonium, et quando haec conditio non fuerit adiuncta ex vi actus semper actus erit turpis. Vide solutionem 2^{ae} obiectionis, 4.

OBIICIENS 3^o quia, in brutis videtur esse amor conditionatus; ergo similiter in nostro appetitu sensitivo erit amor et delectatio conditionata. Antecedens probatur quia aliquando bruta cibum quem vident appetunt et appetitum indicant gestu corporis, et tamen continentur metu ne cibum capiant. RESPONDEO inde colligi non amorem proprie conditionatum sed tantum colligi fortiorem esse timorem ad retinendum quam amor ad impellendum alias ille idem numero amor sufficeret ad movendum sublato timore, unde quantum ad intrinsecam entitatem efficax est ille amor cibi, sicut gravitas efficax est ad movendum deorsum nisi impetu proiicientis vincatur.

OBIICIENS 4^o quia sensitivus appetitus Christi Domini amabat vitam et refugiebat mortem et non actu absoluto quia esset malum supposito praecepto moriendi; ergo actu conditionali; ergo eadem ratione licebit per appetitum sensitivum delectari de concubitu sub conditione, RESPONDEO illum amorem vitae et [f.288v] odium mortis quod erat in appetitu sensitivo Christi Domini non fuisse conditionalem sed absolutum nec propterea contrarius erat divino praecepto, tum quia appetitus Christi Domini non apparebat facere aliquid ad conservandam vitam contra Dei praeceptum sed tantum amabat vitam et odio habebat mortem et nec vita erat prohibita nec amor illius nec erat prohibitum Christo Domino odium mortis in appetitu sensitivo; solum enim praeceptum erat ne mortem eo tempore fugeret et ut per voluntatem eam acceptaret ad hominum

redemptionem. RESPONDEO praeterea 2^o, illum amorem vitae fuisse de re simpliciter bona et licita quoad omnes conditiones intrinsecas et solum ab extrinseco addita erat illi obiectum prohibitum respectu voluntatis; at vero concubitus in se habet totam rationem obiecti moraliter turpis nisi ab extrinseco accedat conditio contracti matrimonii qua excusatur illa turpitudine, et ideo actus sensualitatis qui fertur in concubitum absolute est turpis nisi extrinseco fine voluntatis appposito iustificetur, sicut turpis est ira et desiderium occidendi proximum nisi excusetur addita conditione iusti belli; at vero actus appetiti sensitivi circa vitam est simpliciter licitus etsi per voluntatem non dirigatur ad alium finem dummodo per voluntatem non anteponatur praecepto divino. Aliter circa haec philosophatur Suarez, 3^a p., q.15, a.4, disp.34, sect.2, § *Dices ergo*²⁷¹.

Ex dictis COLLIGITUR 1^o, Omnem actum appetitus sensitivi quo appetit concubitum sive fuerit amor sive desiderium sive spes sive tristitia de carentia illius sive delectatio esse illicitum et peccatum mortale si accedat consensus voluntatis, quia praecedens ratio aequaliter probat circa delectationem et reliquas alias passiones.

Unde COLLIGITUR 2^o, discrimem quod ab auctoribus citatis constituitur inter desiderium et delectationem non verificari inter actus eiusdem potentiae sed inter actus diversarum potentiarum videlicet voluntatis et appetitus sensitivi.

3^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale velle delectationem appetitus sensitivi in rebus prohibitis solo iure positivo et extrinseco.* Et de hac delectatione intelligenda est distinctio qua utuntur Baptista, Sylvester, Gabriel et Ledesma citati prope initium huius dubii.

PROBATUR conclusio ex dictis, quia appetitus sensitivus quando in die quadragesimae delectatur de comedendis carnibus non in re sed secundum cogitationem vel quando delectatur in

²⁷¹ F. SUÁREZ, *Tertia pars Summae Theologiae cum commentariis et disputationibus*, 3 p., q.15, a.4, disp.34, sect.2 (Objectio 3): ed. Vivès, 18, 202a.

ludo talorum cogitato non quod, non delectatur de oppositione actus cum praecepto, quam non attingit appetitus sensitivus sicut nec aestimativa, nec delectatur de aliqua alia entitate quae ex se sit contra rationem, nam tota illa entitas est honesta quoad intrinseco et sola denominatione extrinseca est turpis.

Praecedentis et praesentis dubii decisio minus formaliter proposita est in conclusionibus ut sequeremur et explicaremus modum loquendi Doctorum quo iam explicato operae praetium erit formaliter tradere brevem resolutionem et quaedam addere.

1^o igitur, circa res intrinsece malas non licet amor, desiderium, complacentia aut spes sub quacumque conditione illis apposita sive in appetitu sive in voluntate.

2^o. circa illas res licet in voluntate amor, desiderium, gaudium et spes si addatur obiecto conditio auferens illius malitiam.

3^o. Illae res quae possunt esse licitae sunt in duplici differentia: quaedam enim turpes sunt ex eo solum quod careat aliqua necessitate excusante, sicut concubitus, qui ex se turpis est ex hoc solum quod careat necessitate matrimonii propter obligationem contractus et utilitatem prolis et alia bona, excusat a turpitudine. De quo vide Doctores cum Magistro, 4, d.34. Similiter, occisio hominis indiget necessitate et causa utilitatis et auctoritatis publicae seu iustitiae. Et circa huiusmodi res non licet habere complacentiam aut desiderium aut spem aut delectationem appetitus sensitivi nisi quando licent ipsae actiones.

4. Aliae sunt actiones ex se licitae sed ab extrinseco prohibitae, et circa huiusmodi res licet non solum amor et delectatio voluntatis sed etiam appetitus sensitivi, Scilicet de actibus praeteritis, futuris aut possibilibus consideratis sub aliqua [f.289v] ratione praecissa etiam si nulla addatur conditio licebit amor, desiderium et delectatio quando post illam praecissionem nec formaliter nec radicaliter manet malitia in formalitate amata.

6. Si petas unde cognoscet quispiam utrum delectationem habeat in sola voluntate an vero habeat etiam delectationem appetitus respondeo facile id colligi praesertim in re venerea ex

motione et calore corporis et vehementia delectationis nam respectu appetitus rationalis concubitus cogitatus non est tantum bonum ut rapiat voluntatem et diu retineat in sui gaudio at vero respectu appetitus sensitivi est summum delectabile et praeterea, ex voluntate sola raro sequitur aut numquam commotio in corpore.

7. Hinc constat illud desiderium et gaudium conditionale voluntatis de concubitu cogitato cum femina si esset propria uxor, si diu retineatur esse peccatum mortale fere semper non quia ex obiecto et specie turpitudinem contineat sed quia est causa efficax turpis delectationis in sensitivo appetitu cuiusmodi causam praebere sine necessitate est peccatum mortale ex dubio 9, fine. Efficacia autem huius causae provenit tum quia propter concatenationem potentiarum ex delectatione voluntatis inclinatur appetitus in delectationem tum praecipue quia dum voluntas amat et delectatur de illo actu opus est illum cognosci ab intellectu et ab imaginativa a qua excitatur appetitus sensitivus. Praeterea imminet hinc ut plurimum proximum periculum consensus nisi retundatur delectatio saltem per displicentiam voluntatis, ut supra, dubio 4. Ita docet Gerson, 2 p., prope initium, videlicet circa finem regularum moralium²⁷², alphabeto 24, litt.G, fine; Corduba, 1^o Quaestionum, q.23, dubio 13, fine.

Dubitatur 12

Utrum sit peccatum mortale delectari de coitu aliorum

Affirmat Gerson, 2^a p., alphabet 29, litt.L, cuius sententia certa est et universaliter vera quando aliquis delectatur de alterius concubitu illicito sive sit fornicatio sive adulterium sive alius quilibet sicut etiam est peccatum mortale gaudere quod alter detrahat vel iniuriam inferat. [f.290]

Imo quamvis actus excusetur a culpa propter defectum libertatis si tamen ex se turpis est, peccatum mortale erit delectari de

²⁷² I. GERSON, *Regulae morales*, § Dans operam: Paris 1606, t.2, col.8.

illo cogitato in aliis sicque peccatum mortale est delectari in copula amentium et a fortiori illos coniungere, ut bene Soto, 4, d.34, q.unica, a.4²⁷³; Ledesma, 2 4ⁱ, q.60, a.3. Et variabitur species huius peccati si amentes erant consanguinei.

At vero si quis delectaretur de actu matrimoniali exercendo ab aliis distinguendum est sicut in praecedenti dubio, nam per voluntatem complacere et gaudere de tali actu alterius ut alterius est, non desiderando sibi eius uxorem non est peccatum mortale sed erit veniale quia periculosus et otiosus est. Sed appetitu sensitivo delectari in tali actu cogitato erit peccatum mortale quia appetitus sensitivus non delectatur de concubitu ut ab alio homine exercito sed ut a se exercendo et ad illum ordinatur delectatio et continet praesentem commotionem seminis ut in simili dictum est in praecedenti dubio.

Hinc constat ex genere esse peccatum mortale ex professo et accurate inspicere coeuntia animalia cum notabili delectatione et commotione appetitus quia hoc non contingit nisi quia illa visione fovetur et augetur delectatio de coitu cogitato quasi exercendo a se nam quidquid homo agit ad nutriendam talem delectationem est peccatum mortale, ut docet D. Thomas, de veritate, q.15, a.4 c, fine²⁷⁴.

²⁷³ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.2, d.34, q.1, a.4: Salamanca, 1557, p.243s.

²⁷⁴ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4 c: ed. Vivès t.15, 58.

Dubitatur 13
Utrum sit peccatum mortale
viduam consentire in delectationem
de actu matrimonii praeterito reducto in memoriam.
Idem quaeritur de viro uxore mortua

Aliqui docent non esse peccatum mortale et videtur ita sentire Caietanum, opusculo 14 de delectatione, dubio 2²⁷⁵, et *delectatio*, § *Tertium est*²⁷⁶.

PROBARI POTEST 1^o, quia delectatio illa est de obiecto licito, ergo est licita.

2^o, quia coniugatis etiam quando nequeunt copulari licita est delectatio de copula [f.290v] cogitata, infra, dubio 15. Idque propterea quia licitus est illis actus matrimonii; ergo eadem ratione licebit viduae delectari de actu praeterito licito.

CONFIRMATUR quia sola variatio temporis non reddit actum illicitum si habet idem prorsus obiectum; sed huic viduae heri vivente marito licebat delectari de actu matrimonii praeterito; licebit illi hodie delectari.

3^o, quia plus est approbare actum quam delectari de illo; sed licitum est viduae approbare actum matrimonii praeteriti; ergo licitum est delectari de illo.

4^o, quia iudex potest delectari de vindicta sumpta iuste etiam postquam fruitus est suo munere; ergo licebit viduae delectatio de actu matrimonii licito.

Nihilominus communiter Doctores DISTINGUUNT huiusmodi delectationem, et 1^o DICUNT non esse peccatum mortale si vidua delectatur de actu matrimonii praeterito ut de praeterito sine periculo pollutionis aut desiderandi praesentem delectationem. 2^o

²⁷⁵ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 14 de delectatione morosa, dub.1: Lugduni 1585, pag.89.

²⁷⁶ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" p.2, § *Tertium est*: Lugduni 1529.

DICUNT si vidua de actu matrimonii praeterito delectatur quasi de praesenti erit peccatum mortale. Ita, ex Ricardo Angelus, *cogitatio*, n^o 2, et ex Archidiacono Sylvester, *delectatio*, q.3, § 4²⁷⁷; Rosela, *delectatio*, n^o 3; Caietanus, opusculo 14, dubio 2²⁷⁸, et *delectatio*, 2^a pag., fine²⁷⁹; ubi Armilla, n^o 3²⁸⁰; Petrus de Soto, lect.9 de discrimine peccatorum²⁸¹; Navarro, cap.16, n.10²⁸²; Corduba, lib.1, q.23, dub.12; Medina, q.74, a.8, dubio 2²⁸³; Zumel, ibidem dubio 3 post disp.4²⁸⁴; Valentia 1^a 2^{ae}, disp.6, q.4, puncto 4²⁸⁵.

Sed haec sententia explicanda est secundum doctrinam traditam in dubio 10 et 11.

DICO igitur 1^o: *Licitus est in voluntate viduae amor complacentia et delectatio seu gaudium de praeterito actu coniugali dummodo non sit periculum pollutionis aut consensus in delectationem sensibilem praesentem*. Et hoc est quod Doctores dicunt licere delectationem de actu praeterito ut de praeterito, quia sub hac formalitate non potest placere appetitui sed voluntati tantum.

DICO 2^o: delectatio sensibilis, amor et complacentia appetitus sensitivi de actu matrimonii praeterito non licent in vidua, quia

²⁷⁷ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

²⁷⁸ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 14 de delectatione morosa, dub.2: Lugduni 1585, pag.89.

²⁷⁹ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529.

²⁸⁰ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111v, n.3.

²⁸¹ PETRUS DE SOTO, O.P., *De institutione sacerdotum*, tr. De discrimine peccatorum, lect.9: Amberes 1566, fol.354.

²⁸² M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.9: Venecia, 1584, p.293.

²⁸³ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.2: Venecia 1602, p.394a.

²⁸⁴ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV, dub.3: Salamanca 1594, t.I, p.334b.

²⁸⁵ G. DE VALENCIA, *Commentariorum theologiarum, t. secundus*, 1.2, disp.6, q.4, puncto 4: Lyon 1603, t.2, col.578.

aestimativa non versatur [f.291] circa praeterita ut praeterita [praesentia] sed versatur circa ea quae sunt praeterita ut circa praeterita; sed appetitus sensitivus non delectatur de illis ut de praeteritis sed ut de presentibus. Et praeterea talis delectatio ordinatur ex natura rei ad copulam; at vero in vidua amor et delectatio continet manifestam turpitudinem mortalem. CONFIRMATUR, quia talis delectatio non est sine commotione membrorum et spirituum subservientium generationi quae in praesenti contingit. Lege Doctores citatos nam valde innuunt hanc esse illorum mentem praeter Angelum qui non ita clare.

Praeterea has conclusiones probabis et explicabis ut conclusiones dubii 10 et 11 servata debita proportione.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO: probant optime licitam esse delectationem seu gaudium in voluntate de actu coniugali praeterito ut praeterito sed non probant licere delectationem in appetitu sensitivo quia haec non est de actu praeterito sed de actu cogitato ut praesenti et de praesenti alteratione et de commotione seminis. - Eadem ratione iudici non licebit per appetitum sensitivum delectari de effusione alieni sanguinis quasi praesenti. Hic enim affectus eiusdem rationis est cum affectu sensitivo illius qui privata auctoritate occideret, nam appetitus sensitivus non fertur in hanc effusionem nisi ut praesentem et in praesenti huic homini non licet occidere.

Dubitatur 14

Quid si sponsus delectetur de actu matrimonii futuri

Adrianus, in q.4 de Eucharistia, fine, ait sponso licere consentire in actum matrimonii cum futura coniuge quod idem sentire videtur circa delectationem sed non dicit expresse²⁸⁶; hoc

²⁸⁶ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, q.4: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.35d.

tamen ex professo docet Medina, q.74, a.8, dubio 3²⁸⁷, ex Victoria, Zumel et Valentia citatis in dubio praecedenti.

POBATUR quia eadem est ratio de sponso et de coniuge qui delectatur de futuro actu cum coniuge. [f.291v]

Nihilominus Corduba, 1, q.23, dubio 13; Veratus in speculo, p.1, a.20, fine; Pedraza, in 6^o praecepto, n^o 5, dicunt sponsatis per verba de futuro non licere delectationem de actu coniugali quasi de praesenti, licere tamen desiderium futuri ut futuri. Sed hoc eodem modo explicandum est sicut praecedens doctrina de vidua, ac proinde liciti sunt actus omnes voluntatis circa futuram copulam ut futuram, sed non licet ullus actus appetitus sensitivi, quia ille semper est circa concubitum praesentem ut praesentem et cum praesenti commotione.

Sed DICES: desponsatis permittimus oscula et amplexus, ut dicetur dubio 22, quae non permittimus aliis hominibus; ergo debemus permittere aliquid commotionis sensibilis plus quam aliis. RESPONDEO concedendo consequentiam; permittimus enim desponsatis commotionem sensibilem quae ex cogitatis osculis et amplexibus resultat sed non quae resultat ex aliis actibus. Insuper existimo sponsi minus rigide obligantur ad repellendas cogitationes circa futuram uxorem quam si non essent desponsati.

Hinc sequitur a fortiori peccare mortaliter illum qui nec sponsalia contraxit si delectatur per appetitum sensitivum de actu matrimonii sibi futuro.

Ex dictis solvitur argumentum Medinae. Nam de coniugatis est alia ratio dicenda in dubio sequenti.

²⁸⁷ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.3: Venecia 1602, p.394a.

Dubitatur 15

Utrum peccent mortaliter coniugati si delectantur de actu matrimonii cogitato

1^o. Certum est licere similem delectationem quando possibilis est illis et licitus actus matrimonii cogitatus. Dubium autem est quando coniuges non possunt consummare vel propter absentiam vel propter aliud impedimentum. Et in dubio sequenti diputabitur utrum liceat delectatio de actu matrimonii cogitato quando non licet illud consummare.

1^a sententia ait peccare mortaliter coniugem qui delectatur de actu matrimonii cogitato quando alter coniux est absens. Ita Navarro, cap 16, n^o 10²⁸⁸; et probabilius et tutius dicit esse Corduba 1^o Quaestionum, q.23, dubio 12; idem tenet Sylvester, nam verbo *delectatio*, q.2, n^o.3, ait delectationem de cogitato actu matrimonii quando non est in loco et tempore et cum voluntate consummandi esse peccatum eo modo quo tactus impudici sunt peccatum; et idem Sylvester, *coniugale* [f.292] *debitum*, q.7²⁸⁹, ait in tali circumstantia impossibilitatis consummandi esse peccatum mortale tactus impudicos.

Probat Navarro, quia illae rationes quae supra, dubio 13 convincunt esse peccatum mortale similem delectationem in vidua, probant esse peccatum mortale in coniuge absenti, quia absens non potest consummare, sicut et vidua. Confirmat 1^o argumento legis illud ff. ad legem Aquiliam et cap. 2 de translatione praelatorum. Confirmatur 2^o, quia talis delectatio in appetitu sensitivo ordinatur ex natura sua ad praesentem emissionem seminis; ergo etiam delectatio est peccatum mortale. Confirmatur 3^o, quia illa delectatio sensibilis non est sine commotione seminis et spirituum vitalium servientium generationi et est veluti inchoata

²⁸⁸ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.9: Venecia, 1584, p.293.

²⁸⁹ *Summa Sylvestrina*, Delectatio: Lyon 1593, parte I, p.238a; Debitum coniugale 7: p.228a.

emissio seminis unde cum modo non possit consummari erit peccatum mortale.

1^a CONCLUSIO: *Peccatum erit similis delectatio in coniuge quando non est possibilis actus matrimonii*, tum quia ea delectatio amatur propter se et non propter habendam prolem, tum etiam quia aliquam inordinationem contrahit ex his rationibus quae tactae sunt in 2 et 3 confirmatione. Ita, praeter citatos docet Caietanus et Armilla, infra.

2^a CONCLUSIO: *Non erit peccatum mortale delectatio sensibilis de actu matrimonii cogitato quasi praesenti inter absentes coniuges*. Ita docet Caietanus, *delectatio*, p.2²⁹⁰; ubi Armilla, n^o 4²⁹¹, Medina, q.74, a.8, dubio 1, fine²⁹²; Zumel, a.8, dubio 3, post disp.4²⁹³. Favet D. Thomas in eodem a.8 ad 4, ubi Conradus²⁹⁴ et Caietanus²⁹⁵; favet etiam D. Thomas, *De malo*, q.15, a.2 ad 17²⁹⁶; et D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 6 in fine²⁹⁷.

Et universaliter, *quoties licitum est alteri coniugi exercere actum matrimonii, quamvis non possit propter physicum impedimentum, toties non est peccatum mortale delectari de actu cogitato, non solum gaudio voluntatis sed etiam delectatione*

²⁹⁰ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa": Lugduni 1529.

²⁹¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111v, n.4.

²⁹² B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.1: Venecia 1602, p.394a.

²⁹³ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV, dub.3: Salamanca 1594, t.I, p.334.

²⁹⁴ CONRADUS KOELLIN, *In Primam Secundae*, q.74, a.8 ad 4: Venecia 1589, p.574a.

²⁹⁵ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sii Thomae*, 1,2., q.74, a.8: ed.leon. 7,44.

²⁹⁶ THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.15, a.2 ad 17: ed. leon. 23,276.

²⁹⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 6: Lyon, t.2 (1529), f.107c.

appetitus sensitivi et commotione carnis citra periculum proximum pollutionis.

PROBO, quia non solum delectatio voluntatis est in eo casu de obiecto licito sed etiam delectatio appetitus sensitivi, nam est de concubitu quasi praesenti, qui, quamvis tunc physice non sit possibilis, nihilominus tunc est licitus, quod si habet aliquam turpi- [f.292v] -tudinem illa delectatio non habet ex obiecto sed ex circumstantia videlicet quia quod inchoatur non potest perfici nec obtinere finem.

CONFIRMATUR 1^o quia, non quaelibet inordinatio in amore aut delectatione de actu matrimonii efficit mortale etiamsi nullo modo ordinetur ad bonum finem matrimonii, nam accedere ad uxorem sine amore prolis et ex sola concupiscentia non est peccatum mortale sed veniale, dummodo non accedat coniux eo animo ut quamvis non esset coniugatus accederet.

CONFIRMATUR 2^o quia, tactus impudici et amplexus non minus ordinantur per se et ex natura rei ad consummandum quam cogitatio et delectatio de actu et tamen tales actus inter coniuges sine periculo proximo pollutionis etiam si absit voluntas consummandi non sunt mortalia peccata, ut infra, dubio 22; ergo nec delectatio.

3^a CONCLUSIO: *quando periculum proximum pollutionis imminet, mortaliter peccat coniux consentiens in talem delectationem.* Ita omnes citati in hoc dubio. PROBATUR, autem ex dictis dubio 9, conclusione 4^a.

Ad 1^{um} RESPONDEO esse discrimen, quia viduae quamvis esset possibilis praesens congressus cum viro iam mortuo, nihilominus non esset licitus, quia matrimonium solvitur morte unius, at vero huic coniugi absentis licitus esset actus matrimonii et solummodo est impossibilis supposita absentia.

Hinc constat solutio 1^{ae} confirmationis, nam illi textus solum probant in similibus idem iudicandum esse, et in praesenti vidua et coniugati non sunt similia.

Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: illa delectatio ordinatur ex natura sua ad praesentem emissionem seminis secundum ordi-

nem debitum in matrimonio et non extra illud, et ideo licita est ex genere et ex obiecto secluso periculo pollutionis, quia non cogitatur ille actus ut habendus cum extraneo sed cum coniuge.

Ad 3^{am} confirmationem RESPONDEO: illa circumstantia non valendi consummare quod inchoatur non continet tantam turpitudinem ut mortalis sit.

Dubitatur 16

Utrum peccat mortaliter coniux qui delectatur de actu matrimonii cogitato quando non licet illum exercere [f.293]

Non disputo de actu voluntatis qui fertur in usum matrimonii affectum tempore et circumstantiis sub quibus liceret; constat enim huiusmodi actum esse licitum; supra, dubio 10 et 11. Sed disputo de actu appetitus sensitivi quo delectatur coniux de actu matrimonii ut praesenti et disputo similiter de actu voluntatis habente idem obiectum.

Videtur autem peccare mortaliter coniugem qui in eo casu delectatur per appetitum sensitivum, quia delectatur de illo actu ut praesenti, et in praesenti actus ille est peccatum mortale. Confirmatur, quia simili ratione usi sumus supra, dubio 11, 13 et 14,

1^a CONCLUSIO: *probabilius videtur non esse peccatum mortale consentire in delectationem sensibilem de actu matrimonii cogitato eo tempore quo peccatum mortale erit exercere actum matrimonii, dummodo absit periculum proximum consensus in actum aut pollutionis.*

PROBATUR, quia concubitus habet conditionem requisitam ut non sit peccatum mortale quamdiu constat matrimonium; quod si tunc est peccatum mortale hoc non provenit illi ab intrinseco sed ab extrinseco; ergo non erit illicita delectatio de illo actu cogitato ut praesenti. PROBO CONSEQUENTIAM, quia cogitare de comedendis carnibus in die quadragesimae et delectari de hoc non est peccatum mortale, idque propterea quia ille actus in re positus in die quadragesimae non erit malus mortaliter ab intrinseco sed

solum denominatione extrinseca a praecepto, quam denominationem non attingit appetitus, sed similiter quando matrimonium constat usus illius in re positus non est malus ab intrinseco sed solum denominatione extrinseca a praecepto ecclesiae prohibente vel ab alia circumstantia; ergo.

CONFIRMATUR, quia si contingat ex actu matrimonii imminere periculum grave filio vel matri quae est partui vicina vel si propter infirmitatem alterius coniugis immineat alicui periculum gravius infirmitatis vel mortis erit peccatum mortale exercere actum matrimonii, et tamen rigidum esset damnare peccati mortalis virum qui eo tempore delectatur de actu matrimonii cogitato praesertim [f.293v] quia in eo casu actus matrimonii non contrahit malitiam mortalem ab obligatione castitatis contra quam est delectatio quae est peccatum mortale, sed ab obligatione charitatis et pietatis in filios et coniugem, contra quam non est delectatio.

Simili ratione PROBARI POTEST conclusio quando actus matrimonii prohibitus est aliquo praecepto Ecclesiae ut prohibitus est in loco sacro et prohibitus est illi coniugi qui post matrimonium contractum cognovit consaguineam uxoris suae vel contraxit aliud simile impedimentum, et de hoc non videtur esse maior ratio quam de illo qui delectatur de comedendis carnibus quando prohibita sunt.

Praecedens conclusio minorem difficultatem habet in exemplis propositis quam supposito voto castitatis simul cum matrimonio. Et 1^o, certum est potuisse voventem obligare se ad excludendas delectationes de copula cogitata, quam obligationem si directa et expresse voluit inducere erit peccatum mortale similes delectationes admittere. Difficultas autem est de illo qui emisit votum castitatis simpliciter nulla limitatione vel extensione addita praeter illam quae virtualiter continetur in castitate promissa.

Hunc peccare mortaliter si delectatur de copula coniugali cogitata probari potest tribus argumentis: 1^{um}, quia solutus qui vovit castitatem peccat speciali circumstantia mortali contra votum quando delectatur de copula cogitata; ergo similiter coniugatus qui vovit castitatem.

2^o argumentor quia coniugatus qui vovit castitatem peccat mortaliter si petat debitum quamvis illa petitio liceret secluso voto; ergo quamvis delectatio de copula cogitata liceat coniugato secluso voto, nihilominus erit peccatum mortale supposito voto. Probatur consequentia, quia sicut petitio non licet post votum quia matrimonium non obligat ad illam sed licite potest se continere ab illa, ita delectatio non licebit quia non est necessaria ut satisfiat debito matrimonii.

3^o, quia similes delectationes cohibere est materia sufficiens ad peccatum mortale, ita ut si quis in particulari se obligaret ad illam materiam teneretur sub mortali; ergo similiter obligatur sub mortali quando se obligat sub generali ratione castitatis. [f.294]

Nihilominus sit 2^a CONCLUSIO: *coniugatus qui castitatem vovit non peccat mortaliter quando delectatur de copula coniugali cogitata.*

PROBATUR, quia illa delectatio non est in se et formaliter turpis siquidem non est de obiecto turpi ut probatum est in praecedenti conclusione; et praeterea delectatio eadem non est prohibita sub mortali ratione praedicti voti castitatis ut constabit ex solutione rationum praecedentium.

Ad 1^{um} RESPONDEO negando consequentiam, nam respectu soluti est luxuria gravis et peccatum mortale delectari de copula cogitata et propterea votum castitatis quod obligat sub mortali ad vitandam omnem luxuriam gravem obligat sub mortali ad vitandam illam delectationem; at vero respectu coniugati non est gravis luxuria et mortalis delectari de copula cogitata, et ideo ratione voti non tenetur sub mortali ad illam vitandam sed tantum sub veniali.

CONFIRMATUR haec solutio, quia oscula et amplexus in solutis non solum sunt peccatum mortale luxuriae sed addunt specialem circumstantiam mortalem ratione voti castitatis, et tamen eadem actiones in coniugato qui vovit castitatem non erunt peccatum mortale, quamvis non fiant in gratiam alterius coniugis sed ob propriam delectationem.

Ad 2^{um} RESPONDEO negando consequentiam: aliter enim obligatur aliquis ad illud quod est primum in voto, et aliter ad illud quod est secundarium et minus principale; nam vitare copulam carnalem et obligationem ad illam quando licite potuerit est primum in voto castitatis, sicut etiam vitare omnem luxuriam quae ex se fuerit gravis et mortalis; et ideo quamvis ratione matrimonii liceret petere, nihilominus ratione voti tenetur abstinere a petitione; sed delectari de copula cogitata non pertinet nisi secundario ad votum castitatis, quia talis delectatio nec est ipsa copula nec est luxuria quae supposito matrimonio sit ex se gravis et mortalis in genere luxuriae.

Ad 3^{um} RESPONDEO negando consequentiam, quia illae res quae sunt secundariae in materia voti non recipiunt tam strictam obligationem ex intentione generali voventis quam strictam reciperent si primario reciperentur, nam si voveres num- [f.294v] -quam alloqui familiariter talem feminam nec admittere eius litteras et munuscula contraheres obligationem sub mortali vitandi illam familiaritatem, et tamen ratione voti castitatis non teneris sub mortali nisi in casu quo secluso voto propter periculum proximum luxuriae esset peccatum mortale talis familiaritas; sic ergo, delectatio de actu matrimonii cogitato in coniugatis est luxuria ex se levis et secundario pertinens ad votum castitatis; ideo votum non obligat sub mortali ad illam vitandam.

Hinc SEQUITUR 1^o non solum emisso voto castitatis post matrimonium sed etiam emisso ante matrimonium non esse peccatum mortale si coniux delectetur de actu matrimonii cogitato, quia quandocumque emissum fuerit votum non habet vim prohibendi sub mortali nisi matrimonium et eius actum et insuper quamlibet gravem luxuriam,

SEQUITUR 2^o, eadem ratione non esse peccatum mortale similem delectationem etiamsi coniugatus emisisset votum solemne castitatis sive in religione sive in sacro ordine quia vere perstat adhuc validum matrimonium licet ab extrinseco voto impediatur eius usus. Verumtamen de huius veritate magis dubito quam de aliis propter traditionem quam continet votum solemne.

SEQUITUR 3^o, conclusionem 2 procedere non solum quando coniugi licet reddere debitum quamvis non liceat petere, sed etiam quando non licet reddere, ut contingit quando ambo mutuo consensu voverunt castitatem; de quo, ubi de voto, a.8, sec.4, dubio 3.

Excipiendus tamen est casus in quo non licet petere debitum propter conscientiam dubiam de valore matrimonii contracti mala fide; tunc enim non licebit delectari de actu matrimonii cogitato; quia ut est dubium an actus matrimonii liceat in eo casu, ita dubium est an delectatio de illo cogitato liceat et aliunde non praeponderat ius possessionis iustae.

Quid si propter conscientiam dubiam non liceat petere et liceat reddere num in eo casu licebit delectari de redditione debiti cogitata antequam petatur debitum. RESPONDEO non licere eodem modo quo non licet delectari de actu matrimonii antequam contrahat matrimonium, supra, dubio 12; quia sicut non licet desponsatis [f.295] delectari de futuro actu quasi praesentem quia nondum adest conditio excusans a malitia intrinseca ita in dicto casu non licet delectari de redditione antequam petatur quia nondum posita est in re conditio excusans actum a malitia intrinseca de qua dubitatur utrum sublata sit per matrimonium. CONFIRMATUR quia huic homini prohibitum est quidquid ad luxuriam pertinet non minus quam soluto, praeter quam quod necessarium est ad satisfaciendum alterius coniugis petitionem. Quando autem propter conscientiam dubiam arceatur quis a petendo debito et quando a reddendo, dixi universaliter de conscientia, supra, q.19, a.5, dubio 17.

Ad argumentum initio positum solutio constat ex confirmatione 1^{ae} conclusionis.

Dubitatur 17
Utrum liceat complacere in pollutione
quae evenit sine peccato.
Ubi utrum liceat desiderare illam

Negant absolute Hadrianus, quodlibeto 17, a.2, propositione 2, 3 et 4; Soto, d.12, q.1, a.7, col.6²⁹⁸, qui pro se refert Paludanum, 4, d.9, q.3; sed Paludanus magis inclinatur in 2^{am} sententiam quia illam scribit ultimo loco; Ledesma, 1 4ⁱ, q.21, a.7, dubio 6; Medina, q.74, a.6, fine²⁹⁹; cum Vitoria, et Zumel, a.8, dubio 1 post disp.4³⁰⁰. In eadem sententiam magis propendunt Corduba, lib. 2, q. ultima, dubio 2. Verumtamen ii omnes Doctores quamvis dicant non licere non expriment esse peccatum mortale sed tantum innuunt.

2^a sententia distinguit et ait esse peccatum mortale complacentia in pollutione contingenti in somnis aut in vigilia sine culpa si motivum complacentiae seu finis sit delectatio. Sed non erit peccatum mortale ex obiecto (secluso periculo consensus) si finis complacentiae sit bonus ut quia pollutio sanitatem attulit vel subtrahit fomitem tentationibus. Ita D. Thomas, 4, d.9, q. unica a.4 quaestiuicula 1, fine³⁰¹, ubi Paludanus, 3, a.1, conclusione 1, fine, et ex D. Bonaventura, Turrecremata, cap. *Non est* l.6 in Summa a.2 et 3; Gerson, tract. de pollutione diurna conclusione 11³⁰², scilicet alphabet 37 vel 38, litt L; Gabriel, lect. 10 in canon litt.L³⁰³; Hadrianus, q.4 de Eucharistia, [f.295v] § *His*

²⁹⁸ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7 : Salamanca, 1557, p.557a.

²⁹⁹ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.6: Venecia 1602, p.393b.

³⁰⁰ FRANCISCUS ÇUMEL, *In Primam Secundae S. Thomae commentarii*, q.74, a.8, disp.IV, dub.2: Salamanca 1594, t.I, p.332s.

³⁰¹ THOMAS AQ., *Commentum in librum 4^{um} Sententiarum*, d.9, q.1, a.un.: ed. Vivès 4,222.

³⁰² I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio undecima: Paris 1606, t.2, col.494.

³⁰³ GABRIELIS BIEL, *Canonis Missae Expositio*, lectio X, litt.L: Tubinga

*praemissis*³⁰⁴; D. Antoninus, 2^a p., tit.6, cap.5, fine³⁰⁵; Sylvester, *pollutio*³⁰⁶, ubi Angelus, n^o 2; Armilla, n^o 3³⁰⁷; Rosela, *pollutio*; Margarita confessorum, in 6^o praecepto, fol.90³⁰⁸; Summa Pisana, *communicare*, n^o 5; Navarro, cap.16, n^o7³⁰⁹; idem fere Alexander, 2 p., q.122, mem.10, § 4³¹⁰; Taviena, *communicare*, n^o.44.

Pro hac sententia adducitur a Navarro Caietanus 2.2, q.154, a.5³¹¹, qui 1^a fronte videtur ita sentire sed, ut existimo potius sentit oppositum.

Harum sententiarum multae sunt rationes quae sparsim dicentur in variis conclusionibus sed praecipue pro 3^a conclusione adducentur rationes 1^{ae} sententiae et pro 2 et 4 conclusione adducentur rationes 2^{ae} sententiae. Verumtamen adhuc oportebit legentem caute attendere singularum rationum vim ne forte existimet unius conclusionis argumenta pugnare contra alias conclusiones.

1^a CONCLUSIO: *Si quando cogitas de praeterita vel futura pollutione, tunc praesens est delectatio sensitivi appetitus cum commotione corporis et spirituum peccatum mortale erit in eam*

1963, pars 1^a, p.82.

³⁰⁴ HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, q.4, § His praemissis: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproduc. New Jersey 1964), fol.35b.

³⁰⁵ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.6, cap.5: Lyon, t.2 (1529), f.129.

³⁰⁶ *Summa Sylvestrina*, *Pollutio*: Lyon 1593, parte II, p.306.

³⁰⁷ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.355v.

³⁰⁸ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

³⁰⁹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.7: Venecia, 1584, p.290s.

³¹⁰ ALEXANDER DE ALES, O.M.F., *Summa Theologica*, pars II, q.122, mem.10, § 4: Lyon 1516, fol.265b-266a.

³¹¹ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.154, a.5: ed.leon. 10,230.

delectationem consentire quamvis per cogitationem velis illi apponere honestissimos fines sanitatis vel renitendi tentationes.

Ita sentiunt Doctores 1^{ae} et 2^{ae} sententiae.

Et PROBATUR, quia appetitus sensitivus, licet delectari possit sanitate, verumtamen huiusmodi delectatione cum commotione spirituum et alteratione corporis non delectatur nisi propter emissionem seminis quatenus tactui suavis est, et huius inditium manifestum est nam quando appetitus sensitivus delectatur de potione aut vomitu quia salutem attulit non delectatur eiusmodi commotione et calore corporis qui proprius est venereae delectationis.

Si autem appetitus sensitivus delectaretur de pollutione praeterita vel futura tranquillo et sereno corpore ut delectatur de cogitato vomitu aut potione quia sanitatem attulerunt, tunc non esset peccatum, et quoad hoc verum dicit 2^a sententia. Et RATIO EST quia illa tranquillitas corporis indicat sensitivam delectationem non esse de pollutione ut est venerea sed solum ut est salubris.

In sequentibus conclusionibus dicendum erit quid iuris si nulla delectatio venerea [f.296] sit praesens in appetitu sensitivo utrum eo tempore voluntati liceat complacere in pollutione praeterita vel futura. Et distinguendum est: nam vel pollutio eveniet cum cogitatione et delectatione sensibili, vel sine illa, ut explicabitur in conclusione 2 et 3, in quibus diligenter observa peculiarem rationem peccati obiectivi repertam in pollutione evenienti cum cogitatione et delectatione, quae ratio peccati obiectivi non reperitur in alia pollutione. Nam forte hoc intendunt gravissimi Doctores qui supra, q.74, a.3, dubio 4, in 2^a sententia dicunt in motibus provenientibus ex imaginatione semper esse peccatum, non vero in aliis.

2^a CONCLUSIO: *Si pollutio evenit sine ulla cogitatione et delectatione sensibili per actionem virtutis expulsivae solius vel si non recordatur homo se habuisse aliquam delectationem in pollutione, tunc absolute illicita est illius pollutionis complacentia in voluntate propter sanitatem vel propter alium bonum finem. Ita Doctores 2^{ae} sententiae. Quod si complacentia non moveatur a sanitate nec ab alio bono fine sed a fine indifferenti vel malo*

venialiter non erit peccatum mortale complacentia sed tantum veniale.

PROBATUR, quia, ut naturalis et bona est nutritio hominis, ita naturalis et bona est actio eiusdem gradus vegetativi qua nociva expelluntur non intervenienti actu aliquo appetitus sensitivi, et huius expulsionis gubernatio non pertinet ad rationem, quare illa pollutio non continet maiorem malitiam obiectivam quam vomitus aut sudor non procuratus.

CONFIRMATUR, quia non violatur ius prolis, nam hoc ius prohibet eum tantum motum seminis qui fit per appetitum et imaginativam, at vero motus ille qui fit per virtutem excultricem et primas qualitates cadit sub iure virtutis nutritivae.

Sed OBIICIENS: ergo licebit propter sanitatem procurare eiusmodi pollutionem, sicut licet procurare vomitum aut sudorem. RESPONDEO negando consequentiam propter rationem fusius explicatam supra, dubio 7 in conclusione 3.

Hinc INFERTUR *eadem ratione licere desiderium absolutum huiusmodi pollutionis illa tamen lege ut illam nullo modo causetur.*

PROBATUR, quia huiusmodi desiderium non habet aliud obiectum quam illa complacentia absoluta quod quamvis periculosum sit quando aliquis sibi pollutionem desiderat verum quando alteri desiderat, ut quando medicus in aegroto illam desiderat, tunc non solum est licitum ex se sed etiam tutum. Ut bene Navarro, cap.16, n^o 7³¹², et Corduba [f.296v] lib.2, q.30, § *Ad secundam rationem.*

3^a CONCLUSIO: *Si pollutio contigerit cum cogitatione et delectatione sensibili, peccatum mortale erit complacere de illa absolute et sine praecisione quamvis finis complacentiae sit sanitas vel alius bonus effectus et quamvis pollutio contigerit sine culpa.* Ita Doctores 2^{ae} sententiae.

³¹² M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.7: Venecia, 1584, p.290s.

PROBATUR bene ex Hadriano, Soto et aliis Doctoribus 1^o sententiae: quia talis pollutio habet totam turpitudinem obiectivam quam habet pollutio culpabilis et solum illi deest voluntas libera ratione cuius imputetur; ergo si per voluntatem complaces in illa absolute et sine ulla praecisione aut conditione, iam libere amplecteris malitiam.

CONFIRMATUR 1^o, quia si dum aliquis habet eiusmodi delectationem et pollutionem consentiret in eam, peccaret mortaliter et tamen nullum aliud obiectum malum amplecteretur nisi quod amplectitur ille qui in praeterita pollutione sine praecisione complacet.

CONFIRMATUR 2^o, quia si forte pollutio illa et delectatio excusabatur a mortali, quia in somnis evenit aut per surreptionem, et antequam perficeretur vigilares et plene deliberares et consentires in eam, peccares mortaliter; ergo peccas mortaliter si in toto illo obiecto complaces.

CONFIRMATUR 3^o regula generali: *quoties aliqua actio excusatur a culpa per ignorantiam aut per aliam causam auferentem voluntarium vel libertatem, si postea libere quis amet talem actionem, erit peccatum, quia iam nihil erit quo excusetur a culpa.* Haec regula potest multis exemplis ostendi, praesertim in his actionibus quae naturali iure prohibentur, nam Iacob peccasset mortaliter si gavisus fuisset quod sine sua culpa Liam cognovisset, et peccatum mortale erit gaudere quod in amentia Deum oderis aut blasphemaveris aut convicia iactaveris contra inimicum vel gaudere quod propter invincibilem errorem falsum testimonium dixeris aut iniustam sententiam pronuntiaveris aut quod inimicum casu et sine culpa interfeceris. Licet enim licitum sit gaudere quod culpa non fuerit in his actionibus sed non licet gaudere quod hae actiones fuerint factae, etiam sine culpa.

CONFIRMATUR 4^o, quia nullus gauderet quod in amentia odisset Deum vel interfecisset hominem nisi tunc quando gaudet odio haberet Deum et illum hominem; nulla enim mater gauderet quod in somno citra culpam suffocasset uni- [f.297] -cum filium.

CONFIRMATUR 5^o, quia alias femina que vi oppressa est posset gaudere de copula praeterita et desiderare aliam similem contingentem sine suo consensu propter filium inde habitum sine sua culpa.

6^o, Hadrianus citatus in 1^a sententia confirmat ex Augustino relato capite *Unum orarium* d.25, § *criminis appellationem* dicente nihil esse adeo veniale quod non fiat mortale dum placet³¹³, quae verba commode intelligi possunt ut ex Gerson Hadrianus explicat ut illud peccatum quod solo defectu libertatis aut voluntarii est veniale fiat mortale quando postea libere placet.

Quod si haec omnia argumenta vis retorquere contra praecedentem conclusionem 2^{am}, facile omnibus respondebis si recte teneas illam pollutionem quae sine delectatione et cogitatione fit excusari a culpa non ea solum ratione quia non fuerit volita libere sed etiam quia nullam turpitudinem obiectivam continet nisi apparenter propter similitudinem cum aliis pollutionibus.

Hinc sequitur a fortiori esse peccatum mortale desiderare similem delectationem evenientem cum delectatione quamvis nullo modo causetur a desiderio, et quantum ad hoc falsa est sententia Navarri.

Sed OBIICIES 1^o: talis pollutio causatur a natura ac proinde ab ipso auctore naturae; ergo non est mala nec erit peccatum mortale in illa complacere. RESPONDEO distinguendo consequens, nam in ordine ad gradum animale non est mala et ut sic causatur a natura et eius auctore Deo; at vero eadem pollutio cum delectatione contingens mala est in ordine ad naturam rationalem, ad quam pertinet secundum altiores regulas gubernare appetitum sensitivum; alias liceret homini permittere quoscumque motus appetitus sensitivi quia causantur a Deo, ut iram usque ad interficiendum inimicum.

OBIICIES 2^o, quia licitum est simpliciter complacere in actu habente conditiones ratione quarum non est peccatum, sicut

³¹³ c.3, d.25: Friedberg, I, 92.

licitum est complacere in actu matrimonii; sed huiusmodi pollutio habet conditiones excusantes a peccato; ergo licitum est complacere in illa. RESPONDEO distinguendo maiorem, nam quando actus exterior tales conditiones habet in se et ex parte obiecti ut quamvis scienter et libere causetur non sit peccatum, tunc non est peccatum complacere in illo actu; at vero quando actus exterior excusatur a peccato ex eo solum quia non est libere volitus [f.297v] tunc libere complacere in illo est peccatum ut constat exemplis adductis in confirmatione 3 et sequenti.

4^a CONCLUSIO: *Etiam si pollutio contigerit cum cogitatione et delectatione turpi licebit per voluntatem complacere cum praecisione, videlicet sub ea tantum ratione quia ea sanitatem affert et subtrahit fomitem tentationibus vel sub alia ratione boni praevisa et universaliter sumpta.* Ita Doctores 2^{ae} sententiae.

Pro huius explicatione observa circa controversiam licere complacentiam in sanitate et alio quovis effectu bono sequuto ex maximo scelere dummodo complacentia non feratur in scelus quod est illius causa, quod fatentur etiam Doctores 1^{ae} sententiae Soto et Ledesma; at vero in praesenti conclusione asserimus licere praeterea complacentiam de ipsamet pollutione ut de obiecto materiali dummodo complacentia feratur in illam cum praecisione, videlicet non ut continet delectationem turpem nec inordinationem contra finem generationis sed praecise ut causa est sanitatis.

PROBATUR quia, sub hac ratione communi nihil mali continet nam tota haec ratio reperitur in ea emissionem seminis quae est in matrimonio et in ea quae sine ulla delectatione contingit sola virtute potentiae expulsivae.

CONFIRMATUR 1^o, quia bonum est emissionem seminis esse causativam sanitatis aut alterius boni effectus; ergo bonum est complacere quod habuerit hunc effectum et quod ad illum habendum contigerit. CONFIRMATUR quia sub hac praecisione licebit complacere de adulterio in quantum ex eo susceptus est filius. Vide dicta dubio 10 et 11.

Sed DICES: iam ergo nihil interest inter complacentiam pollutionis culpabilis et complacentiam pollutionis inculpabilis

nam etiam in pollutione culpabili licitum est complacere sub hac praecisione. RESPONDEO: quoad eas praecisiones quae contingunt cum cogitatione et delectatione turpi nullum est discrimen; nihilominus est differentia quoad eas pollutiones quae contingunt sine cogitatione et delectatione nam in his licet absolute et sine praecisione complacere. Supra, conclusione 2^a.

Hinc sequitur sub eadem praecisione licere desiderium futurae pollutionis si possibile sit desiderium praescidens formalitates in re desiderata; caeterum alicui videbitur desiderium non posse praescindere, quia tendit ad existentiam rei, si autem res existat non potest in ea existere una formalitas sine alia; ergo non potest desiderari una formalitas quin desideretur alia. - Verum haec consequentia fallit ut constat in complacem- [f.298] -tia de praeterita existentia pollutionis aut de futura, nec occurrit aliqua sufficiens ratio asserendi complacentiam praescindere posse formalitates circa rem praeteritam vel futuram et desiderium non posse praescindere.

Praecedens autem ratio recte probat nullam esse praecisionem in desiderio quod movet ad procurandam rem desideratam quia tunc desiderium influit in rem ipsam et tribuit illi existentiam et non uni formalitati tantum sed utrius, quod non reperitur in complacentia seu desiderio inefficaci.

CONCLUSIO 5^a: *Hucusque fere speculative loquuti sumus, nam quod attinet ad praxim frequenter talia desideria erunt peccata mortalia propter periculum proximum consentiendi in praesentem delectationem appetitus sensitivi resultantem ex memoria pollutionis vel periculum proximum incidendi in voluntatem procurandi pollutionem aut aliud peccatum mortale. Et fere semper talia desideria erunt peccata saltem venialia quia continent aliquod periculum praesertim in hominibus minus perfectis qui facile decipiuntur illa apparenti ratione honesti, ut bene notat Gerson, De pollutione diurna, cap.11³¹⁴, alphabeto 37 vel 38, littera h; et Sotus, d.12, q.1, a.7, col.6, observat periculosius esse*

³¹⁴ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio undecima: Paris 1606, t.2, col.494.

desiderare futuram pollutionem quam complacere in praeterita³¹⁵. Propterea a viro perfectionis studioso abesse similia desideria; quin potius desiderare debet oppositum ut Ecclesia canit *Procul recedant somnia etc.* quod desiderium pervenire debet ad eum usque gradum ut naturalis virtus raro et sine ulla delectatione aut cogitatione turpi superfluum humorem expellat. Ita Cassianus, lib.6, cap.20, et 22 et 23³¹⁶.

Dubitatur 18

Utrum liceat optare cogitationes et delectationes turpes et pollutiones et alia similia evenire contra voluntatem ut praebeant occasionem meriti dum illis resistitur

Haec questio, quamvis nonnihil pendeat ab alia universaliori, utrum sit appetenda tentatio, nihilominus peculiarem difficultatem habet in tentationibus carnis.

Cartusianus 2, d.21, q.3, fine³¹⁷, ait non solum perfectis sed etiam proficientibus esse appetendas non ut a demone ordinantur ad malum sed ut possunt materia [esse] meriti. [f.298v]

PROBATUR ex Iacobo, cap.1, [2] dicente *omne gaudium existimate, fratres carissimi, cum in varias tentationes incideritis*, et Ps 25,[2] *proba me, Domine, et tenta me.*

CONFIRMATUR 1º, quia utilis est tentatio; ergo appetenda. Antecedens constat 1 Cor, [10,13] *faciet cum tentatione proventum*, et Jacobi, 1, [12,] *beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae.* Imo necessaria dicitur esse tentatio, Tobiae, 12, [13] *et quoniam*

³¹⁵ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7: Salamanca, 1557, t.1, p.557b.

³¹⁶ IOANNES CASSIANUS, *De coenobiorum institutis libri duodecim*, 1.6, *De spiritu fornicationis*, c.20, 22, 23: PL 49 289-292.

³¹⁷ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.21, q.3: Venecia 1584, p.405b.

acceptus eras Deo necessarium fuit ut tentatio probaret te. Quod idem constat ex aliis Sacrae Scripturae testimoniis.

CONFIRMATUR 2^o, quia quod Deus efficit propter nostram salutem id nos optare possumus; sed Deus tentat homines saepe ut Abraham et alios iustos, *quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se* [Sap 3,5].

2^{um} ARGUITUR ex D. Augustino, 14 De Civitate, cap.9³¹⁸, dicente iustos cupere aut metuere tentari prout se firmitas eorum aut infirmitas habuerit.

CONFIRMATUR 2^o, quia plurimi Sancti Patres provocaverunt demones ad certamen, ut Antonius, Pacomius et Hilarion.

3^o, quia peculiariter tentationes carnis utiles sunt ne quis infletur superbia et aliae tentationes ne otio torpeat, et ut ad Deum confugiat, ferventer oret et expertus melius aliis et sibi consulat, unde Eccli 34, [9] *qui non est tentatus, quid scit*. De quo tractat D. Gregorius, 2 Moralium, cap.36³¹⁹; D. Chrysostomus optime in id 2 Cor 12, [7] *datus est mihi stimulus carnis meae*³²⁰; Cassianus, Oratione 12, cap.5³²¹; Thomas de Kempis, De imitatione Christi, cap.12 et 13; Scholastici infra, praesertim Cartusianus.

4^o, quia martyrrium ad peccatum gravissimum inducit efficacius quam tentatio carnis, et nihilominus licet appetere martyrrium, quod desideravit D. Dominicus, D. Franciscus et plerique alii Sanctorum.

Ut universalem quaestionem de omnibus tentationibus breviter expediamus observa Doctores non eodem modo respondere quaestioni, verumtamen non dissentiunt de re.

³¹⁸ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.14, c.9: CCL 48, p.426, 4-32.

³¹⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.2, c.36: Opera, Antverpiae, 1572, p.11b.

³²⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in 2 ad Corinthios*, Hom.26: PG 61 577s.

³²¹ IOANNES CASSIANUS, *Collationum XXIV*, coll.12, c.5: PL 49 875.

Sit ergo 1^a CONCLUSIO: *tentatio non est appetenda absolute et sine conditione propter utilitates quas ex illa possumus consequi*. Ita D. Thomas, 2, d.21, q.1, a.3³²²; D. Bonaventura, d.23, a.1, q.3³²³; Aegidius, d.21, q.1, a.5³²⁴. Quamvis D. Bonaventura solum dicat esse probabilem.

PROBAT D. Thomas quia non est optandum propter aliquem bonum finem medium ordinatum per se ad fi- [f.299] -nem oppositum et afferens probabile periculum illius, quamvis per accidens possit servire ad illum finem, sicut non est optandum venenum propter sanitatem cum probabili periculo mortis quamvis per accidens possit servire sanitati; sed tentatio per se ordinatur ad peccatum et affert periculum illius et per accidens subservit ad bonum finem; ergo non est optanda.

CONFIRMATUR 1^o, quia nullus dux prudens optaret absolute exurgere bella periculosa reipublicae ut animum fortem atque fidelem ostenderet.

CONFIRMATUR 2^o, quia tenemur quantum possumus tentationes extinguere; ergo non debemus illas desiderare. 2^o quia optare tentationes aut semper aut regulariter est minus tutum quam illas fugere, ut docet D. Thomas citatus. Praeterea qui tentationes fugit longius recedit a superbia et a peccato tentandi Deum, quae non raro reperientur si tentationibus occurrimus, cum possimus fugiendo exercere alia opera virtutum non minus meritoria atque ut ostenderet Christus Dominus non esse a nobis provocandas tentationes ductus est a Spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo, ut notat Glossa ibi.

2^a CONCLUSIO: *licitum est optare tentationes simul cum victoria ita ut in virtute talis voluntatis non velimus tentationes cum sola spe obtinendi victoriae sed velimus et optemus*

³²² THOMAS AQ., *Commentum in librum 2 Sententiarum*, d.21, q.1, a.3: ed. Vivès 8 277.

³²³ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.23, a.1, q.3: Quaracchi, t.2 (1885), p.535.

³²⁴ AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum*, dist.21, q.1, a.5: Venecia 1581, p.184.

tentationes dependenter a victoria in re et de facto consequenda (quod nota, ne videatur haec conclusio contraria praecedenti). Ita docent absolute Doctores citati in 1^a conclusione. Sed limitatur a Doctoribus citandis in conclusione 3^a.

PROBATUR conclusio, quia hoc coniunctum, scilicet tentatio et victoria simul est obiectum bonum et per se utile ad beatitudinem.

3^a CONCLUSIO: *nullo modo licet optare absolute et sine praecisione tentationem carnis etiamsi desideretur dependenter a victoria consequenda*. Ita docent Durandus, 2, d.21, q.2³²⁵, ubi Cartusianus, q.3, prope finem³²⁶, et probabilem dicit D. Bonaventura citatus in 1^a conclusione.

PROBANT hi Doctores, quia tentatio carnis numquam est sine peccato, ut docet Magister, 2, d.21, § *Porro sciendum*³²⁷; D.Thomas ibi, q.1, a.2 corpore³²⁸, et 3^a parte, q.41, a.1 ad 3³²⁹; unde colligitur D. Thoma [f.299v] intellexisse hanc limitationem conclusionis 1^{ae}, quia in illa loquebatur de tentatione sub ratione praecisa tentationis, non vero de tentatione quae simul est peccatum.

Sed OBIICIENS, quia dictum est supra, a.3, dubio 4 huius quaestionis 74, non omnem inordinatum motum sensualitatis esse peccatum, quia aliqui nullam habent libertatem nec imputabilitatem. RESPONDEO, hoc argumentum probat non omnem tentationem carnis esse actum peccati imputabilem; nihilominus omnis tentatio carnis est peccatum obiectivum, id est obiectum inordinatum et tale ut quando volitum fuerit imputetur ad culpam; ergo non licet absolute et sine praecisione illud desiderare

³²⁵ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.21, q.2: Amberes 1566, fol. 166.

³²⁶ DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.21, q.3: Venecia 1584, p.405b.

³²⁷ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.21, c.6: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.407.

³²⁸ THOMAS AQ., *Commentum in librum 2 Sententiarum*, d.21, q.1, a.2 c: ed. Vivès 8,276a.

³²⁹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.41, a.1 ad 3: ed.leon. 11,404.

quamvis propter bonum finem . Hanc doctrinam aliis verbis tradit Ricardus 2, d.21, a.2, q.3 et d.24, a.4, q.1³³⁰. Vide dicta in conclusione 3, praecedenti dubio. Faciunt non parum quae docet D. Thomas, 3 p., q.41, a.2 ad 2³³¹.

CONFIRMATUR conclusio quia peculiare est tentationibus carnis ut fugiendo potius quam resistendo vincantur.

Observandum est gravius et manifestius peccatum esse desiderare tales tentationes carnis quando tali desiderio fovetur praesens delectatio sensibilis de turpi cogitato, ut constat in conclusione 1 praecedentis dubii; si autem nulla sit praesens delectatio sensibilis adhuc procedunt rationes allatae pro conclusione 3.

DICES: quare hic non excipitur pollutio eveniens sine delectatione et cogitatione turpi siquidem in illa absolute complacere propter bonum finem licitum est, ut in conclusione 2 dubii praecedentis; RESPONDEO: opus non est exceptione, quia eiusmodi pollutio nullo modo continetur in conclusione, nam non est tentatio, cum ad tentationem requiratur impulsus per affectum appetitus aut saltem per cognitionem aliquam.

Praecedens conclusio videtur contradicere Hadriano, q.4 De Eucharistia, § *Respondeo*, dum ait se non videre peccatum in consensu delectationis propter victoriam et cum spe divini auxilii et cum moderatione ne nimium invalescat et ea lege ut non placeat obiectum tentationis³³². Sed pro huius explicatione sit 4^a conclusio.

4^a CONCLUSIO: *Non erit peccatum mortale optare tentationes carnis per desiderium voluntatis et non per affectum appetitus*

³³⁰ RICARDUS DE MEDIA VILLA, O.M.C., *Super quartum librum Sententiarum*, d.21, a.2, q.3: Brixiae 1591, t.2, p.256; d.24, a.4, q.1: p.314.

³³¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.41, a.2 ad 2: ed.leon. 11,405.

³³² HADRIANI VI PONT. MAX., *Quaestiones de Sacramentis in quartum Sententiarum librum*, De Sacramento Eucharistiae, q.4, § *Respondeo*: Paris, Venecia en portada, y al final Roma 1522 (Reproducc. New Jersey 1964), fol.34.

sensitivi dummodo non desiderentur [f.300] *nisi sub illa ratione communi et abstracta, quatenus sunt occasio meriti.* Haec conclusio PROBATUR eodem modo quo probata est conclusio 4 praecedentis dubii.

Ad argumenta initio proposita RESPONDEO 1^o, saepe appellari tentationes labores qui immittuntur a Deo ut vir iustus operibus ostendat suum amorem erga Deum, et has tentationes optare licet sed cum discretione et humilitate et sub spe divini auxilii, et de his loquitur fere semper Sacra Scriptura dum ait gaudendum esse de tentationibus vel ipsas esse optandas. Hactenus tamen loquuti sumus de tentatione ordinata ab aliquo inimico ad ruinam, quo sensu D. Iacobus dicit *neminem a Deo tentari.* RESPONDEO 2^o, etiam tentationes nostrorum adversariorum tolerandas esse hilari et erecto animo, quod intendunt testimonia Sacrae Scripturae et Sanctorum initio adducta. RESPONDEO 3^o: optanda est tentatio quae non est peccatum dummodo optetur simul cum victoria ut dictum est in conclusione 2; sed non est optanda tentatio quae simul est peccatum obiectivum, ut in conclusione 3. Denique, his et aliis argumentis sigillatim respondent D. Thomas et D. Bonaventura citati.

Dubitatur 19

Quomodo reperiatur delectatio morosa in verbis vel proferendis vel audiendis

Primo, constat verba etiam turpia non esse peccatum ex se quia ex se ordinantur ad significandos conceptus, et cuiusque rei etiam turpis bona est et honesta cognitio et significatio cognitionis, Sunt autem peccatum mortale in quantum significant vel fovent vel causant affectum rerum turpium quas significant. Et in praesenti non est dicendum de verbis directe provocantibus ad malum, ut cum praecipitur vel consulitur nec de indicantibus absolutam voluntatem peccandi, sed tantum de his verbis quae delectationem morosam continent.

Sit 1^a CONCLUSIO: *Peccat mortaliter qui se iactat de aliquo peccato mortali ut homicidio aut contumelia aut fornicatione, et similiter qui alium commendat ut fortem eo quod se vindicaverit vel felicem quia feminam obtinuerit. Ita docet Angelus, iactantia, n^o 2, ubi Sylvester³³³, Armilla³³⁴ et Caietanus³³⁵ [f.300v] qui idem docet 2.2, q.112, a.2³³⁶, col.2; Margarita confessorum, in 6^o praecepto, fol 90³³⁷; Viguerius, cap.5, § 13, versic.3, fol.77³³⁸; Navarro, cap.16, n^o 14³³⁹; Alcocer, cap. 20, fol.74³⁴⁰; Medina, in Summa, cap.14, § 35.*

Huius conclusionis APERTA RATIO est, quia iactantia et laus continent complacentiam et approbationem rei de qua laudamus vel iactamus, quam radicem iactantiae Davis aperuit Ps 51 [3] dicens *quid gloriaris in malitia, etc., [5] dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui aequitatem, [7] propterea Deus destruet te, etc., quod supplicium indicat gravitatem peccati, et Prov. 2 [14] qui laetantur cum malefecerint et exsultant in rebus pessimis. Praeterea haec iactantia vel laus grave scandalum continet.*

Hinc sequitur 1^o eadem ratione mortaliter peccare qui alium vituperat eo quod praetermiserit oblatam occasionem criminis ut quia iniuriam acceptam non vindicaverit vel qui sibi vitio vertit et infelicem se dicit quod non arripuerit occasionem accedendi ad

³³³ *Summa Sylvestrina*, Iactantia: Lyon 1593, parte II, p.3a.

³³⁴ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* : Barcinonae 1566, fol.320v.

³³⁵ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "iactantia" : Lugduni 1529.

³³⁶ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.112, a.2; ed.leon. 9,436.

³³⁷ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

³³⁸ IOANNES VIGUERUS, GRANATENSIS, O.P., *Institutiones ad christianam Theologiam*.... cap.5, § 12, versic.3: Antverpiae 1565, fol.77v.

³³⁹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.14: Venecia, 1584, p.296.

³⁴⁰ FRAY ANTONIO DE ALCOCER, *Confessionario breve*, c.20, Del sexto mandamiento: Córdoba 1592, fol.78.

feminam, quia haec omnia supponunt complacentiam et desiderium peccati.

Sequitur 2°. quod attinet ad malitiam iactantiae et laudis non minus peccatum esse si de falso crimine quam si de vero te iactes; eandem enim complacentiam continet atque idem scandalum gloria propter iactantiam falsi criminis et verecundiam metumque ne existimaretur innocens accusat merito Augustinus, 2° Confessionum, cap.3³⁴¹.

3°, reducitur hoc peccatum ad eam speciem cuius fuerit peccatum de quo te iactas vel alium laudas ac propterea omnes illae circumstantiae quae explicandae forent in confessione si vere patratae fuissent denuo, denuo omnes illae explicandae sunt in confessione iactantiae, quamvis numquam commissum sit tale facinus vel quamvis prius explicuisses in confessione. Exemplum sit iactantia de adulterio vel de homicidio clerici ut magis explicatum est dubio 1 ante solutionem argumentorum.

Nihilominus, quamvis commiseris adulterium, si tamen non te iactasti nisi de illo sub communi nomine et ratione fornicationis sine complacentia in peculiari turpitudine adulterii tunc non erit opus in confessione explicare nisi iactantiam de fornicatione. Itaque parum refert quae fuerint circumstantiae facinoris commisi quod lau- [f.301] -das sed in hac re multum refert quae fuerint circumstantiae quae simul cum facinore iactas.

Et haec doctrina non pendet ex illa quaestione utrum in confessione necessario explicandae sint circumstantiae notabiliter aggravantes.

4°. Contingit aliquando eum qui se vel alium laudat de aliquo facinore, laudare non de opere absolute sed tantum de robore vel arte, et tunc non erit peccatum mortale, imo quandoque nullum peccatum erit si laus illa utilis sit ad aliquem bonum finem, ut explicatum est dubio 3, conclusione 2 in simili.

³⁴¹ Cf AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, 1.2, c.3, n.7; CCL 27 21; PL 32 678.

5°. Quod dictum est de laudante dicendum est etiam de audiente laudes si admiratur et suspicit facinus quasi laude dignum.

Restat dicere de verbis turpibus quae nec iactantiam aut laudem continent nec ordinantur ad persuadendum peccatum mortale sed proferuntur et audiuntur ob delectationem, utrum illa sint peccatum mortale.

Negat absolute Caietanus, 2.2, q.148 fine³⁴² et q.168, a.3 ad 1 et 2 dubium³⁴³. Probat ex Apostolo ad Ephesios 5 [3s] dicente *fornicatio aut omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitude aut stultiloquium*, id est turpia verba, ut exponunt ibi Chrysostomus³⁴⁴, Athanasius et alii Patres, et statim subdit Apostolus [5] *omnis fornicator aut immundus aut avarus non habet haereditatem in regno Christi*, unde sic argumentatur Caietanus: «prius inter haec peccata numeratur stultiloquium et postea praetermittitur quando numerantur peccata quae excludunt a regno Dei; ergo non est peccatum mortale. Verumtamen argumentum est debile tum quia praetermissa est etiam turpitude quae postea sine dubio intelligitur sub nomine immunditiae, sub quo existimo comprehendi turpia verba, ut notat D. Thomas, 2.2, q.154, a.4 ad 1³⁴⁵, et reddit rationem quia verba non participant essentiam huius peccati nisi ut proficiscuntur ab immunditiis et libidine; tum etiam quia si forte Paulus illis verbis intendebat ostendere stultiloquium non esse tale peccatum intelligendus erat de turpibus verbis prolatis sine delectatione rei turpis, de quibus in conclusione 3.

³⁴² THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.148: ed.leon. 10,176.

³⁴³ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2, q.168, a.3: ed.leon. 10,353.

³⁴⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in epist. ad Ephesios*, Hom.17: PG 62 117s.

³⁴⁵ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.154, a.4 ad 1: ed.leon. 10, 225.

Sit ergo 2^a CONCLUSIO CERTA: *peccatum mortale est loqui vel audire turpia propter delectationem resultantem ex rebus turpibus cogitatis, quam cogitationem excitant et fovent illa verba*. Hoc docet, quamvis non adeo aperte Cyprianus, libro De virginitate, cuius verba refert D. Antoninus infra; et D. Thomas, 2.2, q.168, a.3 corpore³⁴⁶. Et expresse affirmat D. Antoninus, 2^a parte, tit. 5, cap.1, § 8³⁴⁷; Ioannes de Friburgo in Summa Confessorum, lib.3, tit.34, q.272 (qui excedi cum Ulrico affirmans id esse de fide); Angelus, *luxuria*, n^o 2; Margarita confessorum, in 6^o praecepto, fol.90³⁴⁸; Gerson, 2^a p., in Regulis moralibus³⁴⁹, alphabeto 24, litt Y; Armilla, *impudicitia*, n^o 1³⁵⁰; Navarro, cap.16, n^o 14³⁵¹. Favet eidem conclusioni non parum citata verba Ad Ephesios, 5.

PROBATUR EVIDENTER, quia delectatio morosa in rebus turpibus ex genere est mortale peccatum; ergo hanc delectationem excitare et fovere verbis erit peccatum mortale. Quare, ut existimo, Caietanus non intendit hanc conclusionem negare sed tantum affirmare conclusionem 3 sequentem.

Idem dictum sit de quibuscumque verbis significantibus alia peccata verumtamen rarius contingit in iis verbis peccatum mortale, sicut etiam in illis rarius contingit delectatio morosa quam in luxuria.

OBSERVANDUM est 1^o parum referre quod verba aperta vel per distantissimas metaphoras significant aliquid turpe dummodo animus loquentis vel audientis intendat cogitationem et delectationem de re turpi, quod saepe explicare oportet poenitentibus

³⁴⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.168, a.3 c: ed.leon. 10,352.

³⁴⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 8: Lyon, t.2 (1529), f.107d.

³⁴⁸ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

³⁴⁹ I. GERSON, *Regulae morales*, § De luxuria: Paris 1606, t.2, col.25s.

³⁵⁰ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

³⁵¹ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.14: Venecia, 1584, p.296.

praesertim iis qui sibi videntur esse politoris sermonis et acuti ingenii.

2º, parum refert utrum turpia dicantur historias narrando vel fabulas vel fingendo quid aliquis faceret hac vel illa occasione oblata, immo etiam si dicantur turpia quasi detestando illa. Saepe enim contingit a conditis hominibus detestationem rerum quarundam turpium ut sodomiae usurpari verbis ad captandam delectationem ex memoria ut ostendit eorum risus et modus loquendi comparatus potius ad excitandum appetitum quam ad frenandum quo etiam sensu vulgares poetae componere solent quos appellant "desengaños". [f.302]

3º. Non solum quando turpes actiones significantur verbis sed etiam quando partes corporis occultae significantur, propter dictam delectationem contingit peccatum. Verumtamen [si] non placet tunc visio vel tactus illarum sed solum cogitentur et placeant ipsae partes, non videntur peccatum mortale; est tamen veniale grave.

3ª CONCLUSIO: *non est peccatum mortale dicere vel audire verba turpia ex quadam levitate ad delectationem quae nascitur non ex rebus turpibus sed ex modo dicendi artificioso vel stulto aut ex convitio lepido quod in eis continetur aut leve irrisione alterius vel curiositate rerum naturalium vel alienarum actionum vel propter aliam similem causam.*

Ita D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 8³⁵²; Caietanus, 2.2, q.168, a.3 ad dubium 1 et 2³⁵³; Navarro, cap.14, nº 31, litt.f, § 18, qui in nova impressione notatur nº 42³⁵⁴.

PROBAT D. Antoninus ex D. Augustino dicente *ream linguam non facit nisi rea mens*, unde D. Thomas universaliter docet turpitudinem verborum esse iudicandam ex intentione proferentis, quod intellige si verba intentum sensum admittant sed non est

³⁵² ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 8: Lyon, t.2 (1529), f.107d.

³⁵³ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.168, a.3: ed.leon. 10,353.

³⁵⁴ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.14, n.42: Venecia, 1584, p.262.

peccatum mortale delectatio cuius obiectum est artificiosus modus loquendi aut curiosa cognitio cuiusque rei; ergo verba quae hanc delectationem fovent non sunt peccatum mortale.

Si autem velis investigare quandonam delectationem de rebus turpibus ortam captaveris verbis quodove solummodo capere voveris delectationem aliam venialem. Utere regulis traditis dub. 3.

Limitat praecedentem conclusionem D. Antoninus citatus, *dummodo non sit proximum periculum consensus in turpem delectationem vel actum nec in loquente nec in aliquo audientium*; nam si tale periculum proximum probabiliter immineret esset peccatum mortale turpia loqui, quamvis propter curiositatem vel alium finem solum venialiter malum, ut constat ex dictis dubio 5, quae ut melius accommodes rei praesenti adverte turpia verba non per accidens sed per se et ex ratione sua impellere ad turpia facta, unde Athanasius in citata verba ad Ephesios 5 *praebent* —inquit— *verba ad res ipsas ingressum*, idem Chrysostomus, ad Ephesios, sermo 16³⁵⁵; D. Basilius, *De legendis libris gentilium*, pagina 2, ait [f.302v] *pravis assuescere sermonibus via quaedam est ad rem ipsam*³⁵⁶; Augustinus, 1 Confessionum, cap.16³⁵⁷; et Aristoteles 7 Politicorum, cap. ultimo ait: *ex turpiter loquendi licentia sequitur et turpiter facere*³⁵⁸; facit illud Menandri quod ad aliud propositum usurpavit Paulus, 1Cor 15,[33] *corrumpunt bonos mores colloquia prava*.

Propterea, sine necessitate uti verbis turpibus semper est grave veniale et quando imminet proximum periculum est mortale. Insuper, verba ex se licita quae viam aperiunt turpibus, usque adeo vitari voluit D. Hieronymus, epistola 2 ad Nepotianum,

³⁵⁵ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homiliae in epist. ad Ephesios*, Hom.17: PG 62 117s.

³⁵⁶ BASILIUS MAGNUS, *De legendis libris gentilium: Opera*, Paris 1566, p.213D.

³⁵⁷ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, 1.1, c.16, n.26 : CCL 27 14; PL 32 672.

³⁵⁸ ARISTOTELES, *Politicorum sive de rebus publicis*, lib.7 cap.17: Operum t.2, Lugduni 1549, col.896.

paulo ante finem, ut ita praecipiat *numquam de formis mulierum disputes*³⁵⁹.

Ex dictis COLLIGITUR quando sit peccatum mortale canere turpia vel eiusmodi cantinelas audire. Idem namque dicendum est quod de verbis turpibus, ut bene D. Antoninus, Margarita confessorum et Navarro citati. Hoc tamen peculiare habet carmen quod creditur in illo delectare numerus et musica et non res turpis significata saepius et probabilius quam in aliis verbis, verumtamen aliunde saepius contingit proximum periculum consensus quia vehemens delectatio carnis dulcedine musicae condita difficilius repellitur ex animo, et praesertim si canat femina, quod optime exaggerat D. Augustinus, libro De singularitate clericorum, qui etiam habetur inter opera D. Cypriani³⁶⁰. - Vide quae ex sententia Ethnicorum adducit Mendoza, q.9 scholastica, a n^o 26³⁶¹.

COLLIGITUR 2^o, peccare mortaliter eos qui exhibent comedias rerum turpium praesertim eo ornatu vestium, iis motibus et figuris verborum quibus inordinati amores repraesentantur ut aliquid magnum et excellens dignumque non solis honestis sed etiam nobilibus viris et proceribus. Ita D. Antoninus, 2 p., tit.3, cap.7, § 5³⁶²; Sylvester, *ludus*, § 3³⁶³; et Mendoza, in Scholastica, q.9, de comediis non gerendis per feminas, § 10³⁶⁴, ubi recte notat hoc esse peccatum mortale etiamsi histriones non intendant inducere ad mortale nec complaceant in rebus turpibus. Huius ratio est quia compluribus auditoribus causat delectationem morosam rerum turpium spectaculum. Cuius inditium est quod

³⁵⁹ HIERONYMUS, *Epistola ad Nepotianum* : PL 22, 538.

³⁶⁰ CAECILIUS CYPRIANUS, CARTHAGINENSIS, *De singularitate clericorum, Origenis iuxta quosdam* : Hamberes 1589, t.3, p.458s.

³⁶¹ ALPHONSUS MENDOZA, EX ORDINE EREMITARUM D. AUGUSTINI, Q.9 Scholastica, *Utrum comaediae ... licite faeminarum ministerio ... gerantur*: Salamanca 1588, pp.579-609.

³⁶² ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.3, cap.7, § 5: Lyon, t.2 (1529), f.82a.

³⁶³ *Summa Sylvestrina*, Ludus 3: Lyon 1593, parte II, p.158b.

³⁶⁴ ALPHONSUS MENDOZA, EX ORDINE EREMITARUM D. AUGUSTINI, Q.9 Scholastica, *Utrum comaediae...*: Salamanca 1588, p.579.

eodem arti- [f.303] -fitio verborum et apparatu vestium frigidae videntur plerisque auditoribus comediae nisi vel cenae vel illarum intermissiones aliqua re turpi condiantur. Nec potes respondere hoc scandalum et periculum evenire per accidens, est enim valde per se respectu talium verborum, ut supra notavimus, et respectu talis modi repraesentandi.

Et quod ethnicorum comediae consequerentur olim propositis deorum sceleribus ut illa non existimarentur esse hominibus indigna, ut notat Augustinus 1 Confessionum, cap.16³⁶⁵, ex Terentio in Eunuco, id hodie consequuntur histriones propositis exemplis regum et magnatum quibus populo omnem peccandi pudorem detergant. Quae causa Augustinum impulit ut tractatu 100 in Ioannem, in illa verba *Ille me clarificavit, diceret donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus*³⁶⁶, et idem ait in Ps 102, [6] *faciens misericordias Dominus*³⁶⁷.

COLLIGITUR 3^o, peccatum mortale esse audire comedias turpes quando aliquis expertus est se aliquoties incidisse in consensum actus vel delectationis turpis occasione similis repraesentationis vel quando ex sua dispositione animi et corporis probabiliter colligit proximum periculum. Ita colligitur aperte ex Cypriano, lib.1, epist.2, et in veteribus codicibus, lib.2, epist.2³⁶⁸; et Chrysostomo, homilia 69 in Mt et hom.51 in Ioannem apud Mendoza, in Q. scholastica 9³⁶⁹, in fine. Huius rationem a priori tangit Augustinus, 3 Confessionum, cap.2³⁷⁰, quia auditores comediarum congaudere solent amantibus quando sese fruuntur per flagitia et quando se amittunt miserentur eorum, qui

³⁶⁵ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, l.1, c.16, n.24 : CCL 27 14; PL 32 672.

³⁶⁶ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium expositio*, trac.100: Basilea 1542, t.9, col.494.

³⁶⁷ AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps 102: CCL 40, 1463, 26-30.

³⁶⁸ CYPRIANUS, *Ad Donatum, De Gratia Dei, Epistola 2* : Amberes 1589, t.1, p.1-4.

³⁶⁹ ALPHONSUS MENDOZA, EX ORDINE EREMITARUM D. AUGUSTINI, Q.9 Scholastica, *Utrum comaediae...*: Salamanca 1588, pp.579-609.

³⁷⁰ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, l.3, c.2: CCL 27 28; PL 32 684.

affectus supponunt complacentiam et amorem similis flagitii. Hanc doctrinam aperte tradit Mendoza in q.9 Scholastica, § 11³⁷¹, et eandem ut certam supponere videtur Ribera Michael, cap.1, a n° 60, ubi late persequitur mala et pericula turpium comediarum. Imo, Aristoteles, 7 Ethicorum, cap. ultimo³⁷², districte interdixit pueris comediis turpibus interesse.

Comedias autem non turpes quamvis profanas exhibere et audire non est mortale peccatum sicut nec alia spectacula quamvis christianis omnibus et praesertim poenitentibus fugienda sint, de quo D. Chrysostomus, homilia 1 *quod est periculosum adire spectacula*; D. Cyprianus, libro de spectaculis³⁷³; D. Basilius, in sermone de ebrietate et lusu³⁷⁴; D. Augustinus, 1 De Civitate, cap.32, et lib.2, cap.8, 11, 13 et 14³⁷⁵; et Ps 119; Tertulianus, [f.303v] libro de spectaculis ad finem³⁷⁶, quae verba et alia ad hanc rem spectantia vide in Mendoza citato.

4°. In personis ecclesiasticis gravius peccatum est gerendi vel audiendi comedias turpes quia carnis affectus excitatos non possunt dirigere ad honestos amores matrimonii ut possunt coniugati. Et universaliter audire histriones prohibetur clericis capite *clerici el segundo* [sic] de vita et honestate clericorum³⁷⁷, et Innocentius papa, cap. *Praeterea* d. 51³⁷⁸, prohibet ordinari curiales quia minorum apparatus soleant praeesse aut interesse.

³⁷¹ ALPHONSUS MENDOZA, EX ORDINE EREMITARUM D. AUGUSTINI, Q.9 Scholastica, *Utrum comaediae...*: Salamanca 1588, p.579.

³⁷² ARISTOTELES, *Politicorum sive de rebus publicis*, lib.7 cap.17: Operum t.2, Lugduni 1549, col.896.

³⁷³ CYPRIANUS, *De spectaculis* : Amberes 1589, t.3, p.375ss.

³⁷⁴ BASILIUS MAGNUS, *In ebrietatem et luxum homilia*: Opera, Paris 1566, p.185.

³⁷⁵ AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.1, c.32; l.2, cc.8,11,13,14: CCL 47, pp.32,40,42,44,45.

³⁷⁶ Q. SEPTIMI FLORENTIS, *De spectaculis liber*: Opera. 1580, p.592; PL 1, 735s.

³⁷⁷ c.15, X, *De vita et honestate clericorum*, III, 1: Friedberg, II, 453.

³⁷⁸ c.3, d.51: Friedberg I, 204

De quo bene Gratianus in principio distinctionis 48³⁷⁹ et idem colligitur ex capitibus infra citandis.

5°. Turpes comedias aut saltationes et ludos similes in ecclesia fieri auget novam circumstantiam peccati mortalis non solum ex naturali iure sed etiam propter praeceptum Innocentii III, cap. *Cum decorum*, de vita et honestate clericorum³⁸⁰, cui adstipulantur caput *deceat*, § *cessent*, de immunitate ecclesiarum³⁸¹, et 1^{um} decretum Tridentini *De vitandis in Sacrificio Missae*, sess. XXII, atque idem praeceptum fuit olim in Concilio Nannetensi, cap. *Nullus* 40 d.

Ex quibus capitibus colligitur esse peccatum mortale gerere aut permittere in ecclesia eas comedias aut ludos quae sunt vanae et leviter, quae extra ecclesiam peccata mortalia non essent idque propter decorem domus Dei et sacerdotum et propter positivum praeceptum. Ita docet, si bene inspiciatur Caietanus, 2.2, q.168, a.3 ad dubium 3³⁸²; Sylvester, *ludus*, n° 2³⁸³ et rigidius Angelus ab eo citatus; Navarro, cap.19, n° 3³⁸⁴; et de horis canonicis, cap.5, n°25; Medina in Summa, cap. 14, n°28; et parum dissidet Ludovicus Lopez, 1 p., instructorii, cap. 181 versus finem³⁸⁵. Citatur etiam Sandoval, *De officio ecclesiastico*, cap. 8 et 9.

6°. Tridentinum, sess.XXII citata prohibet in ecclesia non solum lasciva verba sed etiam sonos inanimatos organorum in quibus lascivum aut impurum aliquid miscetur, quod existimo esse peccatum superstitionis ex genere suo mortale quando sonus ex se accommodatus est ad turpia aut per illum communiter excitantur

³⁷⁹ dict. ante c.1, D.48: Fiedberg I, 173.

³⁸⁰ c.12, X, *De vita et honestate clericorum*, III, 1: Friedberg 2, 452.

³⁸¹ c.2, III, *De immunitate ecclesiarum*, 23, in VI°: Friedberg 2, 1062.

³⁸² THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.168, a.3: ed.leon. 10,354.

³⁸³ *Summa Sylvestrina*, Ludus 2: Lyon 1593, parte II, p.157b.

³⁸⁴ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.19, n.3: Venecia, 1584, p.514s.

³⁸⁵ LUDOVICUS LOPEZ, O.P., *Instructorium conscientiae*, c.181: Salamanca 1592, p.426.

auditores ad cogitandum de rebus illicitis si sonus miscetur divinis officiiis vel adhibetur in honorem Dei et sanctorum, quod late et optime probat Caietanus, 2.2, q.91, a.2³⁸⁶; Medina, cap.14, § 2; Ludovicus Lopez 1 p., *Instructorii Conscientiae*, cap.181 versus finem³⁸⁷.

7º, COLLIGITUR idem dicendum esse de scribendis rebus turpibus et legendis quod dictum est de exhibendis et audiendis comediis; quapropter Augustinus, 1 Confessionum, cap. 16³⁸⁸, acri- [f.304] -ter obiurgat praeceptores grammaticae quod exponant turpes libros quasi venenum mortiferum in aureis vasis, scilicet elegantibus verbis propinandis. Vide Simancas, De catholica institutione, cap.38, nº 8; Ribera Michael 1 a nº 60. Imo, ut bene probat Castro, De iusta haereticorum punitione, cap 15, efficacius libri quam verba infundunt cordi venenum³⁸⁹, praesertim si libri artificium et metrum delectent et venenum lateat ne animus horreat. Idem dicendum est de faciendis vel inspiciendis turpibus simulacris aut picturis; de quibus et de libris vide Aristotelem, 7 Ethicorum, cap. ultimo³⁹⁰.

8º COLLIGITUR, quid iuris si aliquis audiens verba turpia risum gaudiumque simulet ne ab aliis contemnatur ut rusticus et inurbanus. Videtur enim esse peccatum mortale quia fingitur peccatum mortale, videlicet delectatio de rebus turpibus et talis fictio est scandalum activum. - RESPONDEO hoc communiter non esse peccatum mortale, quia risus et gaudium potest esse non de rebus turpibus sed de modo dicendi aut de convitio lepido aut de alia re, et propterea non continet scandalum activum, et aliunde

³⁸⁶ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.91, a.2: ed.leon. 9,296.

³⁸⁷ LUDOVICUS LOPEZ, O.P., *Instructorium conscientiae*, c.181: Salamanca 1592, p.426.

³⁸⁸ AUGUSTINUS, *Confessionum libri XIII*, 1.1, c.16, n.26 : CCL 27 14s; PL 32 672.

³⁸⁹ ALFONSO DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione, libri tres*, 1.2, c.15: Paris 1578, t.2, col.281

³⁹⁰ ARISTOTELES, *Politicorum sive de rebus publicis*, lib.7 cap.17: Operum t.2, Lugduni 1549, col.896.

finis intentus est licitus, videlicet liberare se a molestia et forte etiam aliquando a vanagloria circumstantium. - Si autem aliquis eo risu intenderet aliis persuadere se esse deditum rebus turpibus ut illum magni faciant et dignum existiment sua familiaritate, erit peccatum mortale ex 1^a conclusione.

4^a CONCLUSIO: *loqui et audire verba amatoria sed non turpia notabiliter non est peccatum mortale, quamvis eo animo proferantur ut concilietur amor vanus et levis et delectatio inde orta (intellige secluso proximo periculo et scandalo)*. Ita D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 8³⁹¹; Armilla, *impudicitia*³⁹²; Alcocer, in Summa, cap.20³⁹³; Navarro, cap.14 versus finem, litt.D, et colligitur ex cap.16, n^o 11³⁹⁴; idem docet Corduba, tractatu Casuum, q.5, coroll.2³⁹⁵; et a fortiori hoc tenet Caietanus citatus ante 2^{am} conclusionem.

PROBATUR, quia amor levis non est ex suo genere mortale peccatum; ergo nec illum conciliare verbis. Quantum autem sit periculum huius familiaritatis docent Patres locis citatis in dubio 5 prope finem. Vide praesertim D. Hieronymum, epistola 2 ad Nepotianum De fugiendo contubernio, familiaritate et munusculis feminarum³⁹⁶. [f.304v]

³⁹¹ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 8: Lyon, t.2 (1529), f.107d.

³⁹² BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

³⁹³ FR. FRANCISCO DE ALCOCER, O.M.O., *Confessionario breve*, cap.20, Del sexto mandamiento: Córdoba 1592, fol.78.

³⁹⁴ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.11: Venecia, 1584, p.294s.

³⁹⁵ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.5, corol.2: Alcalá de Henares 1592, f.30b.

³⁹⁶ HIERONYMUS, *Ad Nepotianum, De vita clericorum et Monachorum*: PL 22 532.

Dubitatur 20

Quando sit peccatum mortale aspicere propter delectationem

1°. *Constat numquam esse peccatum mortale aspicere propter delectationem quae consequitur ex actu videndi ut versatur circa colores bene temperatos et pulchras figuras. Quia actus aspiciendi, secundum suam rationem formalem nihil turpitudinis continet ac proinde non erit turpis delectatio consequens ex tali actu.*

2°. *Constat esse peccatum mortale videre ex intentione optandae fornicationis, ut constat Mt 5 et ex Augustino cap. nec solo³⁹⁷, et cap. qui viderit³⁹⁸, 32, q.5 vel ex intentione nutriendae delectationis de turpi opere cogitato, ut bene D.Thomas, De veritate, q.15, a.4 corpore³⁹⁹, et est evidens ex dictis supra.*

3. *Constat peccatum mortale esse videre cum proximo periculo peccati mortalis.*

4. *Restat autem inquirendum secluso periculo proximo et desiderio efficaci vel morosa delectatione de opere turpi, utrum sit peccatum mortale aspicere aliquid propter delectationem quandam sensibilem quae toto corpore perfunditur et ex suo genere est venerea.*

Sit 1^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale sed veniale propter talem delectationem aspicere faciem pulchram viri aut feminae. Ita D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 7⁴⁰⁰; Gerson, tract. De pollutione diurna⁴⁰¹, alphabeto 37, littera D; Gabriel, in Canonica lectione 74, littera E⁴⁰²; Caietanus, opusculo 14 De*

³⁹⁷ c.12, C.32, q.5: Friedberg, I,1135.

³⁹⁸ c.13, C.32, q.5: Friedberg I, 1136.

³⁹⁹ THOMAS AQUINAS, *De veritate*, q.15, a.4: éd. Vivès t.15, 57.

⁴⁰⁰ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 7: Lyon, t.2 (1529), f.107c.

⁴⁰¹ I. GERSON, *Tractatus de pollutione diurna*, Propositio duodecima: Paris 1606, t.2, col.494s.

⁴⁰² GABRIELIS BIEL, *Canonis Missae Expositio*, lectio LXXIII, litt.E:

morosa delectatione, dubio 3⁴⁰³, et *impudicitia*⁴⁰⁴; Armilla, *delectatio*, n° 5⁴⁰⁵; Navarro, cap.16, n° 11⁴⁰⁶; Medina, hac questione 74, a.8, dub.5⁴⁰⁷; Alcocer, in Summa cap.20⁴⁰⁸. Favet D. Bonaventura 2, d.24, a.2, q.2, col.ultima⁴⁰⁹.

PROBATUR, quia talis delectatio nec est graviter turpis nec proxime pertinens ad rem veneream. Erit tamen communiter viro aspectus feminae veniale peccatum nisi ex aliqua iusta causa fiat, ut quia illam alloquitur vel ut illam dignoscat ab aliis, quia communiter periculum affert non contemnendi unde Augustinus, tomo 9 tract. De honestate mulierum, cap. 1 et 4, *refrenanda inquit est incauta oculorum fragilitas ne eveniat nobis illud Ieremiae ascendit mors per fenestras*⁴¹⁰. De quo mirifice D. Gregorius in id Iob *pepigi foedus cum oculis meis*,⁴¹¹ ubi alii expositores, et in id Eccli 9 [] *propter speciem mulieris multi perierunt*, et ex [f.305] hoc concupiscentia quasi ignis exardescit; D. Basilius, De constitutionibus monasticis, cap.4 prope finem⁴¹²; et hoc periculum studiose cavendum est docuere plerique Sanctorum non solum verbo sed etiam exemplo, ut D. Franciscus, apud D. Bonaventuram in eius vita, cap.5; D. Thomas

Tubinga 1966, pars 3^a, p.221.

⁴⁰³ THOMAS DE VIO, *Opuscula omnia*, Tractatus 14 de delectatione morosa, dubium 3: Lugduni 1585, pag.89s.

⁴⁰⁴ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "impudicitia": Lugduni 1529.

⁴⁰⁵ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111v, n.5.

⁴⁰⁶ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.11: Venecia, 1584, p.294s.

⁴⁰⁷ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.5: Venecia 1602, p.394a.

⁴⁰⁸ FR. FRANCISCO DE ALCOCER, O.M.C., *Confessionario breve*, cap.20, Del sexto mandamiento: Córdoba 1592, fol.78.

⁴⁰⁹ S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.582a.

⁴¹⁰ AUGUSTINUS? *De honestate mulierum*: Basilea, 1542, t.9, col.1052.

⁴¹¹ GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.21, c.2: Opera, Antverpiae, 1572, fol.135vb.

⁴¹² BASILIUS MAGNUS, *Constitutiones monasticae*, c.4: Opera, Paris 1566, p.489.

de Aquino, apud Surium in Martium; Hugo, episcopus gratianopolitanus, apud Guidon Cartusianum.

Imo quibusque viris spiritualibus cavendus est intentus et studiosus intuitus adolescentum pulchriorum nam inde gravissimis peccatis irretitos fuisse plurimos docet D. Basilius in sermone de abdicatione⁴¹³, et ratio est quia naturalis affectus quanto diligentius cohibetur a feminis tanto ferventius erumpit in viros nisi cum Dei gratia abundante obstruatur omnis aditus.

Haec autem praesertim cavenda sunt quando nos aggreditur tentatio, ut bene Caietanus, *impudicitia*⁴¹⁴. - Et utrumque documentum, scilicet cohibendi intentum aspectum virorum sed praecipue vitandi contubernium et aspectum feminarum tradit Eccli, cap.42 [12] *omni homini noli intendere in specie et in medio mulierum noli commorari: [13] de vestimentis enim procedit tinea et a muliere iniquitas viri [14] melior est enim iniquitas viri quam mulier benefaciens*, id est, tutius est contubernium viri quamvis aspere tecum agat et iniuriis afficiat quam contubernium feminae quae te blanditiis et officiis alliciat.

2^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale ex se licet sit grave veniale si vir inspiciat studiose brachia, crura aut pectus feminarum (sublato periculo proximo quod multis imminebit)*. Ita Navarro, cap.3, n^o 5, litt.M; Corduba, libro De casibus, q.4, coroll.7⁴¹⁵; et colligitur ex Caietano, 2.2, q.169, a.2 ad obiectionem dubii 1⁴¹⁶. Et ratio est quia delectatio orta ex tali aspectu non est graviter turpis nec satis proxime inducens ad rem veneream.

3^a CONCLUSIO: *Peccabit mortaliter qui sine necessitate nudum viderit aliquem diversi sexus, ut si vir feminam videat vel femina virum; erit etiam peccatum mortale licet solummodo videat*

⁴¹³ BASILIUS MAGNUS, *Sermo de abdicatione*: Opera, Paris 1566, p.334a.

⁴¹⁴ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "impudicitia": Lugduni 1529.

⁴¹⁵ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.4, coroll.7: Alcalá de Henares 1592, f.24b.

⁴¹⁶ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.169, a.2: ed.leon. 10,360.

verenda alterius sexus. Ita D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 7⁴¹⁷; Sylvester, *delectatio*, q.6⁴¹⁸, ex Archidiacono; Caietanus 2.2, q.169, a.2⁴¹⁹; Navarro, cap.14, n° 31, litt.D⁴²⁰; Armilla, *impudicitia*, n° 1⁴²¹. Et videtur idem sentire Medina, q.74, a.8, dubio 5⁴²². Et eadem ratione mortaliter peccat femina quae se nudam praebet aspiciendam viro, et vir qui nudum se praebet aspiciendum feminae. [f.305v]

Idem peccatum committitur si vestes sint adeo subtiles ut parum impediunt aspectum. Ita Navarro, cap.14, n° 31, litt.D, § Quinto⁴²³; Caietanus, 2.2., q.169, a.2 ad dubium 1⁴²⁴; et partim Armilla, *ornatus*, n° 1, dicto 4⁴²⁵.

PROBATUR, quia tales aspectus proxime et acriter excitat ad libidinem et commovet totum corpus. Quare, de hoc delectari est delectari de re graviter venerea. Hinc etiam sequitur hoc esse contra honestatem naturalem et alias non esset contra honestatem. Ideoque primi parentes in statu innocentiae non erubescerent, quia sine eorum voluntate non commovebatur appetitus; sed amissa innocentia continuo fecerunt sibi perizomata, id est cingulum et velamen pudendorum, hoc enim indicat nomen perizoma, ut indicat Augustinus, 11 Super Genesim ad litteram, c.32, tom. 3⁴²⁶;

⁴¹⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 7; Lyon, t.2 (1529), f.107cd.

⁴¹⁸ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 6: Lyon 1593, parte I, p.239b.

⁴¹⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.169, a.2: ed.leon. 10,360.

⁴²⁰ Cf M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.14, n.36: Venecia, 1584, p.258.

⁴²¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

⁴²² B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.5: Venecia 1602, p.394a.

⁴²³ Cf M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.14, n.36: Venecia, 1584, p.258.

⁴²⁴ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.169, a.2: ed.leon. 10,360.

⁴²⁵ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.341.

⁴²⁶ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, lib.11, c.32: Basilea 1541, t.3,

Gregorius 26 *Moralium*, cap.12, fine, et lib.32, cap.12⁴²⁷; Ambrosius, *De paradiso*, cap.13⁴²⁸; et Lyra, Gn 3. Quare huiusmodi nuditate nullae nationes usae sunt ni suprema barbarie et feritate, et Beatus Barnabas maledixit quibusdam viris et feminis nudis quibus evenit malum quod imprecatus est ut referunt D. Augustinus, Caietanus⁴²⁹ et Navarro citati.

CONFIRMATUR, quia in hac re datur grave et proximum periculum ruinae, cuius exemplum est David, alioqui vir sanctissimus habensque plures uxores in remedium libidinis, 2 Reg 11, quod bene ponderat D. Augustinus, tractatu de honestate mulierum, cap.1⁴³⁰ et Ps 50, initio⁴³¹; et Glossa ordinaria, 2 Reg 11.

Hinc merito Antoninus, Sylvester ex Archidiacono⁴³² et alii Doctores ostendunt illudi a demone illos qui sub specie mortificationis olim praecipiebant feminas nudari coram se, quod est peccatum mortale non solum propter rationes dictas sed propter scandalum et occasionem existimandi peius aliquid de omnibus viris spiritualibus. Hinc etiam constat turpes esse etiam inter viros eiusmodi mortificationes quamvis non sint peccatum mortale ut existimo, propter dicenda in conclusione 5.

Denique, ut existimo, non est peccatum mortale propter curiositatem et non propter delectationem videre nudum aliquem diversi sexus tam brevi tempore ut non detur occasio magnae commotionis in corpore, atque idem erit si ratione aetatis puerilis aut senilis aut frigidissimae complexionis ille qui videt non habeat periculum magnae commotionis.

4^a CONCLUSIO: *inspicere aliorum concubitum licitum sive illicitum est peccatum mortale*. Ita Margarita confessorum in 6^o

col.672.

⁴²⁷ GREGORIUS MAGNUS, *Expositio moralis libri Iob*, lib.26, c.12: Opera, Antverpiae, 1572, fol.164b; lib.32, c.12: *ibid.* fol.210a.

⁴²⁸ AMBROSIUS, *De paradiso*, c.13: CSEL 32/1 322s.

⁴²⁹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.169, a.2: ed.leon. 10,360a.

⁴³⁰ AUGUSTINUS? *De honestate mulierum*: Basilea, 1542, t.9, col.1050.

⁴³¹ AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps 50: CCL 38, 600.

⁴³² *Summa Sylvestrina*, Delectatio 6: Lyon 1593, parte I, p.239b.

praecepto. fol.90⁴³³; et idem videtur dicere Armilla, *impudici-*
[f.306] *-tia*, n^o 1⁴³⁴, cum Tabiena et Sylvestre.

PROBATUR, quia talis aspectus ex se affert notabilem
commotionem appetitus sensitivi et est proxima causa delectationis
de actu inspecto et affert grave periculum consensus. Quod
notetur pro iis qui sine animo fornicandi adsunt domos
meretricium.

5^a CONCLUSIO: *Non est peccatum mortale videre verenda
eiusdem sexus aut hominem nudum eiusdem sexus (secluso
periculo proximo in multis contingente)*. Ita Navarro, cap.3, n^o 5,
littera M, ait respicere viros natantes non esse peccatum mortale,
quod intelligendum est viris, nam feminis talis aspectus erit
mortalis ex conclusione 3; (quamvis Armilla, *impudicitia*, n^o
1⁴³⁵, universaliter damnet peccati mortalis videre pudenda).

RATIO est quia videtur talis aspectus non esse de se tam
graviter provocativus ad turpes motus et alterationis corporis ut
sufficiat ad mortale, praesertim cum ex genere non sit admodum
gravis lex temperantiae. Nihilominus viris propensis ad sodomiam
existimo esse peccatum mortale talem aspectum.

6^a CONCLUSIO: *Simili fere ratione non peccat mortaliter qui
sua verenda inspicit aut se ipsum nudum nisi periculum proximum
pollutionis aut consensus immineret iis qui iam experti sunt simile
periculum*. Decet tamen castitatis amatorem etiam quando solus
est et in obscuro loco nuditatem vitare, non solum ne videat sed
etiam ne cogitet se esse nudum. In cuius virtutis commendationem
miraculum editum refert Sozomenus in tripartito libro 1, cap.11.

7^a CONCLUSIO: *Inspicere coitum animalium propter notabilem
delectationem sensibilem inde resultantem videtur esse peccatum
mortale*, quia illa delectatio sensibilis inditium est cogitari tunc
similem actionem ut a propria persona exercendam, et ut sic

⁴³³ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

⁴³⁴ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* :
Barcinonae 1566, fol.226.

⁴³⁵ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* :
Barcinonae 1566, fol.226.

amari, ut constat ex dictis in dubio 10 et 11. At vero studiosè inspicere brutorum verenda non videtur mortalis quia talis aspectus non videtur notabiliter provocare ad libidinem. Similiter etiam erit peccatum mortale ex curiositate sine notabili commotione appetitus videre coitum brutorum.

Dubitatur 21

Utrum tangere propter delectationem sit peccatum mortale

Communiter Doctores respondent 3 conclusionibus.

1^a CONCLUSIO: *Oscula, amplexus vel tactus ut conserere manus [f.306v] et similia, si fiant absque libidine, in signum benevolentiae, propter consuetudinem patriae vel propter aliquam necessitatem medicinae vel ob aliam rationabilem causam, non sunt peccata.*

Hinc infertur 2^a CONCLUSIO: *Oscula, amplexus et tactus non sunt peccatum ex sua specie et obiecto, siquidem ex iusta causa et fine licent.*

3^a CONCLUSIO: *Oscula, amplexus et tactus libidinosi sunt peccatum mortale ratione causae finalis, videlicet quia eorum motivum est delectatio morosa de actu libidinis,*

Conclusiones praecedentes tradunt D. Thomas, 2.2, q.154, a.4⁴³⁶; Ulricus, quem referunt et communiter D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 9⁴³⁷, et Ioannes de Tiburgo in Summa confessorum, lib.3, tit.34, q.272; Angelus, *luxuria, fine, et cogitatio*; Glossa in Clementinis *Ad nostrum, de haereticis*, verbo 7^o quod⁴³⁸. Paludanus, 4, d.31, q.3, a.2, conclusione 6 fine; Sylvester, *delectatio*, q.4⁴³⁹; Gerson, alphabeto 29, litt.1, et in 2^a parte, in regulis moralibus, § de luxuria⁴⁴⁰, alphabeto 24,

⁴³⁶ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.154, a.4 : ed.leon. 10,225.

⁴³⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 9: Lyon, t.2 (1529), f.108a.

⁴³⁸ c.3, *de haereticis*, V. 3 in Clem.: Friedberg II, 1183.

⁴³⁹ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

⁴⁴⁰ I. GERSON, *Regulae morales*, § De luxuria: Paris 1606, t.2, col.25s.

litt. V; Margarita confessorum, in 6^o praecepto, fol.9 (qui tamen latius videtur loqui)⁴⁴¹; Soto, d.21, q.2, a.1, et d.34, q.1, a.2⁴⁴²; Castro, de haeresibus, verbo *coitus*, haeresi 3⁴⁴³; Medina in Summa, cap.14, § 18.

Quod attinet ad oscula et amplexus constat ex Sacra Scriptura et Patribus licere ex benevolentia, ut constat ex plurimis testimoniis Veteris et Navi Testamenti. Et praeter hunc finem non licere docet D. Ambrosius in id Pauli 1 ad Thesalonicenses 5 [26] *salutate fratres in osculo sancto*⁴⁴⁴; Cyprianus, in epist. ad Pomponium de virginibus⁴⁴⁵; et refertur capite *Nec aliqua* 27, q.1⁴⁴⁶; Glossa, ad Ephesios 5, explicans verbum *turpitude*. Vide plura quae ex iure et iurisperitis refert Covarrubias, 2 p., de sponsalibus cap.7, § 6, n^o 3⁴⁴⁷; et Peres, tom.3, libr.8 ordinamenti tit.15, lege 2.

Sed restat gravis difficultas. Utrum sit peccatum mortale tangere propter eam delectationem sensibilem tantum quae capitur ex tactu non cogitando de ullo alio actu venereo cuius delectatio intendatur.

D. Thomas et alii citati videntur existimare eiusmodi tactus non esse peccatum mortale siquidem illorum malitiam mortalem reducant in delectationem [f.307] morosam de qua probatum erat esse peccatum mortale. Praeterea Martinus de Magistris, apud Caietanum, 2.2, citatum, existimat tales actus non esse peccatum mortale, cuius scilicet rationes refert et solvit Caietanus, quas omitto quia ex dicendis facile solventur. Idem videtur sentire

⁴⁴¹ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

⁴⁴² D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus secundus*, d.34, q.1, a.2 : Salamanca, 1557, p.239a.

⁴⁴³ ALFONSO DE CASTRO, *Adversus haereses libri XIII*, l.4, *coitus*: Paris 1578, t.2, col.301s.

⁴⁴⁴ AMBROSIUS, *In epist. 1 Ad Thesal*, 5,26: PL 17 479.

⁴⁴⁵ CYPRIANUS, *Ad Pomponium, De virginibus* : Amberes 1589, t.1, p.128s.

⁴⁴⁶ c.4, C.27, q.1: Friedberg I, 1048.

⁴⁴⁷ DIDACUS COVARRUBIAS, *In librum Quartum Decretalium*, 2 p., c.7, *De contractus coniugalis effectu*, § 6, n^o 3: Salamanca 1577, p.381b

Humbertus, in expositione litterae Beati Augustini, quem refert et sequitur Gabriel, lectione 74, in canone litt. E⁴⁴⁸; et videtur eandem sententiam reputare probabilem Soto infra citandus. Sed vere est improbabilis et forte temeraria ut recte notat Navarro infra.

Sit ergo 4^a CONCLUSIO: *Extra matrimonium tactus verendorum propter delectationem quae ex eo tactu sentitur est peccatum mortale quamvis nulla intendatur delectatio de coitu cogitato nec de ulteriori alio actu.*

Ita docet D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 9⁴⁴⁹, et ex Archidiacono Sylvester, *delectatio*, q.4⁴⁵⁰; Rosela, *delectatio*, n^o 3; Taviana, *cogitatio*, n^o 9; et magis expresse et ex professo Caietanus, 2.2, q.154, a.4⁴⁵¹, et in Summa, *impudicitia*⁴⁵², ubi Armilla, n^o 1⁴⁵³; Navarro, cap.14, n^o 32, litt.L fine, et cap.16, n^o 13⁴⁵⁴; Corduba, lib. de casibus, q.2, puncto 4⁴⁵⁵; Alcocer, cap.20, pag.2⁴⁵⁶; Navarra, 2 de restitutione, cap.4, n^o 216 et sequentibus⁴⁵⁷. Idem videtur sentire licet non adeo expresse, Medina, q.74, a.8, dub.5⁴⁵⁸, et Summa confessorum in 6^o prae-

⁴⁴⁸ GABRIELIS BIEL, *Canonis Missae Expositio*, lectio LXXIII, litt.E: Tubinga 1966, pars 3^a, p.221.

⁴⁴⁹ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 9: Lyon, t.2 (1529), f.108a.

⁴⁵⁰ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

⁴⁵¹ THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 2.2, q.154, a.4: ed.leon. 10,226.

⁴⁵² THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "impudicitia": Lugduni 1529.

⁴⁵³ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

⁴⁵⁴ Cf M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.14, n.32; c.16, n.13: Venecia, 1584, p.255; 295.

⁴⁵⁵ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.2, punto 4: Alcalá de Henares 1592, f.14.

⁴⁵⁶ FR. FRANCISCO DE ALCOCER, O.M.O., *Confessionario breve*, cap.20, Del sexto mandamiento: Córdoba 1592, fol.78.

⁴⁵⁷ PETRUS A NAVARRA, *De ablatarum restitutione in foro conscientiae*, lib.2, c.4, n.316...: Lyon 1593, pág.401.

⁴⁵⁸ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8,

cepto, fol.90⁴⁵⁹; Viguierius, in *Institutiones*, cap.7. § 4, versic.7⁴⁶⁰.

Et non immerito ait Caietanus hanc fuisse mentem D. Thomae citati; alias frustra assumpsisset laborem tractandi de osculis et tactibus si solummodo haberent turpitudinem ex fine delectationis morosae de coitu cogitato, quia hac ratione quemlibet actum alias licitum constat esse peccatum mortale. Et eadem ratione idem colligi potest ex omnibus Doctoribus initio citatis.

PROBATUR 1^o, quia tactus pudendorum et delectatio inde consequens ex sua ratione intrinseca ordinatur proxime ad concubitum et continet notabilem commotionem [f.307v] seminis et corporis; ergo est graviter turpis atque adeo mortalis.

Et in re idem est argumentum quo utitur Caietanus citatus sed illud accommodatum est ad melius explicandam rationem D. Thomae. Hoc tamen adverte nostram rationem reduci ad rationem D. Thomae sic: quia delectatio quae capitur ex tactibus turpibus quamvis non cogitetur tunc de coitu, tamen reducitur ad delectationem de coitu ut quaedam inchoatio illius et circumstantia intrinseca pertinens ad illum.

CONFIRMATUR, quia licet ab operante non ordinetur ad eum finem, tamen ex ipsa ratione operis tactus verendorum ordinatur ad concubitum, unde continet malitiam contra prolem quae reperitur in concubitu sed non ita perfecte et complete.

Quod si OBIICIAS: iam ergo tactus erunt ex suo genere peccatum mortale, quod tamen negat D. Thomas. RESPONDEO: caute loquutus est D. Thomas his verbis *tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale*, quod verum est quia formalitas quae exprimitur nomine tactus est quaedam actio sensus quae nec honesta est nec turpis, sed non propterea negatur tactus

dub.5: Venecia 1602, p.394a.

⁴⁵⁹ *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

⁴⁶⁰ IOANNES VIGUERIIUS, GRANATENSIS, O.P., *Institutiones ad christianam Theologiam...*, c.7, § 4, vers.7: Antverpiae 1565, fol.90.

cum talibus circumstantiis nominare peccatum et esse ex suo genere mortale, de quo bene Caietanus citatus.

2° PROBATUR conclusio, quia tales tactus sunt contra honestatem naturalem.

3°, quia ex sua ratione intrinseca apti sunt ad ferendum proximum periculum pollutionis vel consensus in opus vel in delectationem de opere cogitato.

4°, CONFIRMANTUR hae omnes rationes quia aspectus pudendorum est peccatum mortale, ut constat ex dubio praecedenti, et hae omnes magis urgent in tactu quam in aspectu quia tactus maxime deservit generationi.

5°, FAVET huic conclusioni Paulus ad Galatas 5 numerans impudicitiam inter peccata excludentia a coelo; est autem impudicitia in aspectibus et tactibus qua significatione intelligit impudicitiam D. Thomas 2.2, q.154, a.1 ad 5⁴⁶¹ explicans Apostolum 2 Cor 12 ubi etiam ponitur impudicitia ut grave [f.308] peccatum. Sic etiam intelligit Lyra ad Gal 5, et Caietanus supra.

FAVET, 6°, pudor et remorsus conscientiae qui tales actus sequitur.

Ut conclusionem 4^{am} explicemus NOTANDUM est 1°, illam esse intelligendam non solum quando vir tangit turpes partes feminae vel femina viri, sed etiam quando vir alterius viri aut femina alterius feminae turpes partes tangit propter dictam delectationem resultantem ex tactibus et propterea multi ex Doctoribus citatis in conclusione 4^a illam affirmant universliter non distinguendo sexus ut D. Antoninus, Sylvester, Caietanus et Armilla. Imo, turpes tactus inter viros est turpior quam inter virum et feminam tum quia longius distat a bonitate matrimonii illum excusante, tum etiam quia reducitur ad sodomiam ut quaedam inchoatio illius.

⁴⁶¹ THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2, q.154, a.1 ad 5 : ed.leon. 10, 214.

Si autem petas quare non erit eadem ratione turpior aspectus quo videntur pudenda eiusdem sexus quam si videretur alter sexus. RESPONDEO, quia aspectus non ita proxime inchoat coitum nec tantum participat de malitia illius et minus irritat ad libidinem ex se aspicere eundem sexum quam diversum sexum.

NOTANDUM est 2^o esse peccatum mortale tangere se ipsum in genitalibus sine necessitate et propter delectationem, quamvis tunc non sit periculum proximum pollutionis. Ita D. Antoninus, 3 p., tit.1, cap.20, § 6⁴⁶²; Armilla, *impudicitia*, n^o 3⁴⁶³; Gerson, 2 p., opus tripartito 2 p. illius circa peccatum luxuriae⁴⁶⁴, alphabeto 31, litt. E. Et ratio est, quia talis delectatio proxime ordinatur ad concubitum ex natura rei.

3^o Caietanus, 2.2, q.154, a.4⁴⁶⁵; Armilla, *impudicitia*⁴⁶⁶; Tabiena, *osculum*; Corduba, lib. de Casibus, q.2, puncto 4⁴⁶⁷; Navarra, 2 de restitutione, cap 4, n^o 318⁴⁶⁸; merito docent tactus impudicos pertinere ad eam speciem luxuriae ad quam pertineret coitus; quare in confessione explicare oportet utrum tactus fuerint cum virgine, cum coniugata, consanguinea vel religiosa et aliae similes circumstantiae explicandae sunt. Quod etiam observetur pro sequentibus conclusionibus.

4^o NOTANDUM est hos tactus aliquando excusari a mortali non solum quia ex aliqua necessitate fiunt sed etiam quando fiunt ex aliqua curiositate et levi- [f.308v] -tate animi sed brevi tempore

⁴⁶² ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.1, cap.20, § 6: Lyon, t.3 (1529), f.12d.

⁴⁶³ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226v.

⁴⁶⁴ IOANNES GERSON, *Opusculum tripartitum*, 1 p., c.11, («septimum praeceptum est non moechaberis»): Paris, t.2, 1606, col.268.

⁴⁶⁵ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.154, a.4: ed.leon.10, 226.

⁴⁶⁶ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

⁴⁶⁷ FRAY ANTONIO DE CORDOBA, *Tratado de casos de conciencia* q.2, punto 4: Alcalá de Henares 1592, f.14.

⁴⁶⁸ PETRUS A NAVARRA, *De ablatarum restitutione in foro conscientiae*, lib.2, c.4, n.318: Lyon 1593, pág.402.

et sine magna commotione appetitus et sine vehementia delectationis; nam diuturnitas et vehementia delectationis et finis curiositatis et delectationis arbitrio boni viri expendenda sunt ut constet an tactus pervenerint ad moralem culpam. Saepius autem contingit excusari a mortali tactus sui ipsius quam tactus alterius personae. Vide Armilla, *impudicitia*, n^o 1 fine⁴⁶⁹, qui recte docet modicam delectationem ex his actibus acceptam excusari a mortali propter parvitatem materiae, quod etiam observa pro sequentibus conclusionibus.

5^o, non est peccatum mortale tangere verenda super vestem si non intendatur delectatio de tactu immediato cogitato vel de alio peccato sed tamen intendatur delectatio resultans ex tactu mediato, qua haec delectatio ex suo genere non est tanta nec tam propinqua copulae ut sit materia gravis.

5^a CONCLUSIO: *oscula et amplexus erunt peccatum mortale si fiant propter delectationem sensibilem resultantem ex ipsis quamvis non cogitetur de fornicatione nec intendatur delectatio de illa.*

Ita docet expresse Caietanus, 2.2, q.154, a.4, per totum⁴⁷⁰; et Armilla, *impudicitia*, n^o 1⁴⁷¹. Colligitur ex omnibus Doctoribus citatis in principio huius dubii, eodem argumento quo ex illis deduximus 4^{am} conclusionem.

PROBATUR, quia oscula et amplexus ex natura sua non remote subserviunt copulae carnali et notabiliter excitant commotionem corporis et spirituum servientium generationi, unde talis delectatio est inchoatio copulae carnalis ut bene persequitur Caietanus; unde Cicero ait osculum esse partem adulterii; et D. Basilius, tractatu de vera virginitate, pag.535, littera E, dicit osculo diffundi venenum per totum corpus. Vide Ambrosium, 1 ad Thesal 5, in

⁴⁶⁹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* : Barcinonae 1566, fol.226.

⁴⁷⁰ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.154, a.4: ed.leon.10, 226.

⁴⁷¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* : Barcinonae 1566, fol.226.

id *salutate fratres in osculo sancto*⁴⁷², et Cyprianus, 27^a. q.1. cap. *Nec aliqua*⁴⁷³, ubi satis indicat crimina esse oscula carnalia. Faciunt ad hanc rem quae referunt Covarrubias et Peres citati post 3^{am} conclusionem.

Advertendum est peiora esse oscula delectationis causa facta inter duos viros quam inter virum et feminam, ut dictum est in notabili 1 circa conclusionem 4; et notat Gerson, 2 p., opusc. tripartiti in 1^a eius parte cap.13⁴⁷⁴, alphabeto 30, fine. [f.309]

Ad hoc oportet explicare utrum praeter oscula, amplexus et tactus pudendorum sit peccatum mortale tangere alias partes corporis propter solam delectationem resultantem ex tactu.

Caietanus, 2.2, q.154, a.4⁴⁷⁵; et Armilla, *impudicitia*, n^o 1⁴⁷⁶, universaliter docet tactus ea intentione factos esse peccatum mortale ex genere, et Caietanus solum excipit a mortali leves quosdam tactus ut intorsionem digiti dummodo non fiant propter dictam delectationem sed levitatis et ioci causa. Idem docere videntur omnes Doctores citati prope initium huius dubii si explicentur ut ex Caetano explicati sunt in 4^a conclusione, quia illi etiam damnant peccati mortalis universaliter tactus factos delectationis causa.

Sylvester autem, *delectatio*, q.4⁴⁷⁷, ait esse peccatum mortale tactum in genitalibus vel prope, unde videtur non adeo rigide damnare alios tactus remotos; Navarro, cap.14, n^o 31, litt.L, dicit esse peccatum mortale serio tangere ubera feminae quamvis si iocose tangantur non sit mortale.

⁴⁷² AMBROSIUS, *In epist. 1 Ad Thesal.*, 5,26: PL 17 479.

⁴⁷³ c.4, C.27, q.1: Friedberg I, 1048.

⁴⁷⁴ IOANNES GERSON, *Opusculum tripartitum*, 1 p., cap.13: Paris, t.2, 1606, col.270.

⁴⁷⁵ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2, q.154, a.4: ed.leon. 10,226.

⁴⁷⁶ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226.

⁴⁷⁷ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 4: Lyon 1593, parte I, p.239a.

Sit ergo 6^a CONCLUSIO, *si tactus sunt ex sua natura excitativi vehementis commotionis et delectationis venereae erunt peccatum mortale etiamsi non urgeat proximum periculum pollutionis et licet non intendatur delectatio de alio peiori actu cogitato.*

Et RATIO EST quia tales actus sunt inchoatio coitus et graviter deordinati sunt in genere temperantiae, ut in simili dictum est in 1^a ratione pro conclusione 4. Huiusmodi autem videtur esse si vir tangat femora vel ubera feminae. CONFIRMATUR, quia hi tactus turpiores sunt quam oscula et amplexus ob delectationem facta, quae tamen censentur mortalia.

7^a CONCLUSIO: *aliqui tactus sunt tam leviter turpes ut excusentur a mortali propter parvitatem materiae etiamsi intendatur delectatio ex illis resultans ut si quis digito tangat mulieris digitum vel pedem, imo si manu manum alterius viri vel feminae tangat sine peiori intentione non videtur materia sufficiens ad mortale.* De reliquis autem singularibus tactibus iudicare relinquitur arbitrio prudentis, dummodo respiciat semper quantam delectationem causant ex se et attentis circumstantiis, ut supra.

8^a CONCLUSIO: *hoc discrimen est inter tactus pudendorum et partium valde vicinarum et alios tactus, quod tactus pudendorum vel vicinarum partium [f.309v] semper praesumuntur fieri delectationis causa quoties sine necessitate fiunt et licet constaret aliquando ab operante non ordinari ad delectationem adhuc censendi essent peccatum mortale quia ex natura rei ordinantur ad delectationem veneream et quia inter personas diversas sunt valde contrarii honestati naturali, ut satis indicant Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 9 circa medium⁴⁷⁸; Armilla, impudicitia, n^o 2⁴⁷⁹; Navarro, cap.14, n^o 31, litt.L fine⁴⁸⁰.*

⁴⁷⁸ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 9: Lyon, t.2 (1529), f.108a.

⁴⁷⁹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcionae 1566, fol.226v.

⁴⁸⁰ Cf M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.13: Venecia, 1584, p.295.

At vero oscula et amplexus et reliqui omnes tactus quoties non fiunt delectationis causa non sunt peccatum mortale etiam quando sine necessitate fiunt ex levitate et ioco et non propter honestam benevolentiam. Sicque Caietanus, *impudicitia*⁴⁸¹, ait ex levitate iocosa facta esse veniale peccatum, et 2.2, q.154, § *In responsione ad 2*,⁴⁸² ait veniale peccatum esse intorquere digitos feminae levitatis causa, et Navarro, nuper citatus, ait non peccare mortaliter eum qui ioco et levitate sine intentione praedictae delectationis tangit ubera feminae et vellica aut brachium torquet aut illius pellem suo contingit. Colligitur hoc discrimen ex omnibus Doctoribus supra citatis qui tactus damnant peccati mortalis propter intentam delectationem et excusant aliquando a mortali propter alium finem intentum.

9^a CONCLUSIO: *communiter mortale confricare obscenas partes brutorum et eas quae vicinae sunt*, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio. - Caeterum, quia in eisdem brutis ex illo tactu excitatur delectatio venerea et non alia ratione delectantur iis tactibus ideo res est ex se aliquantulum ordinata ad peccatum bestialitatis et propterea non solum est peccatum veniale sed etiam valde indignum rationalis personae.

Dubitatur 22

Quid iuris de tactibus et aspectibus inter coniugatos vel sponsatos

Haec quaestio, quia magis pertinet ad materiam de matrimonio, breviter expeditur.

1^o. *Quicumque aspectus et tactus licent inter coniugatos dummodo absit periculum pollutionis extra vas legitimum, nam cum hoc periculo erunt peccatum mortale. Quod si fiant propter*

⁴⁸¹ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "impudicitia" : Lugduni 1529.

⁴⁸² THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2, q.154, a.4: ed.leon. 10,228b.

delectationem illorum tantum et non in ordine ad copulam erunt veniale peccatum.

Ita Caietanus, 2.2, q.154, a.4, § *In responsione ad 2*⁴⁸³, et in Summa, *impudicitia*⁴⁸⁴, ubi Armilla, fi- [f.310] -ne⁴⁸⁵; D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 9⁴⁸⁶; et ex Archidiacono, Sylvester, *delectatio*, q.4, et *coniugale debitum*, q.7⁴⁸⁷; Taviana, *cogitatio*, n° ultimo; Soto, d.31, fine⁴⁸⁸; Ledesma, 2ⁱ 4ⁱ, q.51, a.6, prope finem; Medina, in Summa, cap.14, § 18. Et ratio est quia personae cui licet copula licet actus essentialiter ordinatus ad copulam; quod si ex defectu finis debiti contrahit aliquam inordinationem, illa erit levis.

2°^o, restant duo videnda. Alterum est utrum tactus liceant quando non potest haberi copula, nam Sylvester, *coniugale debitum*, q.7⁴⁸⁹, ait tunc esse peccatum mortale et similiter peccare mortaliter coniugem qui se ipsum tangit sine copia alterius coniugis dicit Armilla, *impudicitia*, n° 3⁴⁹⁰; D. Antoninus, 3 p., tit.1, cap.20, § 6⁴⁹¹; et Summa confessorum, in 6° praecepto, cum Paludano. Probant, quia talis tactus est venereus et non ordinatus ad officium matrimonii.

Nihilominus non video sufficientem rationem limitandi universalem doctrinam Doctorum traditam in n° 1; praesertim quia satis est tactus illos ex sua natura ordinari ad actum

⁴⁸³ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2,2., q.154, a.4: ed.leon.10, 228.

⁴⁸⁴ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "impudicitia": Lugduni 1529.

⁴⁸⁵ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226v.

⁴⁸⁶ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 9: Lyon, t.2 (1529), f.108.

⁴⁸⁷ *Summa Sylvestrina*, *Delectatio*: Lyon 1593, parte I, p.239a; *Debitum coniugale* 7: p.228a.

⁴⁸⁸ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.2, d.31, q.1, a.4: Salamanca, 1560, p.200.

⁴⁸⁹ *Summa Sylvestrina*, *Debitum coniugale* 7: p.228a.

⁴⁹⁰ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226v.

⁴⁹¹ ANTONINUS, *Summa*, 3 p., tit.1, cap.20, § 6: Lyon, t.3 (1529), f.12d.

matrimonii, qui his coniugibus licet, ut illi tactus in illis hominibus non habeant gravem turpitudinem.

CONFIRMATUR 1^o, quia delectatio morosa de actu matrimonii non est peccatum mortale in coniugatis quamvis tunc non sit facultas consummandi, ut dictum est supra dubio 15; ergo nec tactus.

CONFIRMATUR 2^o, quia in non coniugatis tactus impudici sortiuntur praecipue malitiam a coitu ad quem ordinantur, ut constat in dubio praecedenti; ergo quibus licitus est coitus, quamvis tunc non sit possibilis, licebit etiam tactus.

3^o. Illis coniugatis quibus propter aliquod impedimentum illicita est petitio debiti videtur eadem ratione prohibitos esse sub mortali tactus genitalium aut partis valde vicinae quando non fiunt in gratiam alterius coniugis cui tenetur reddere debitum.

Et ratio est quia illi tactus moraliter reputantur ut unum cum usu matrimonii. Reliqui autem tactus et oscula et amplexus videntur non esse peccatum mortale in illis coniugatis propter eandem rationem qua supra, dubio 16, probatum est talibus coniugatis non esse peccatum mortale delectari de actu matrimonii cogitato.

Nihilominus coniugati quibus non licet delectatio morosa de actu matrimonii cogitato secundum dicta eodem dubio 16, videlicet qui mala fide contraxerunt matrimonium et adhuc dubitant de illius valore, hi peccant mortaliter si utantur tactibus libidinis, et sic explicari possunt Sylvester et Armilla.

4^o. Coniugatus qui se ipsum tangit propter delectationem non peccat mortaliter, quia etiam tactus sui ipsius ad actum matrimonii ordinantur ex natura rei. Nisi adsit periculum pollutionis, [f.310v] vel tactus sit ex sua natura accommodatus ut homo in se ipso quantum possit effingat coitum, nam talis tactus erit peccatum mortale contra naturam quamvis propter circumstantias non adesset tunc periculum pollutionis.

5^o. Quod attinet ad eos qui tantum sponsalia contraxerunt dicendum est licere oscula et amplexus etiam propter delectatio-

nem facta. Ita Caietanus, 2.2, q.154, a.4, § *In responsione ad* 2⁴⁹², Tavierna, *osculum*, Armilla, *impudicitia*, n^o 2⁴⁹³; Soto, d.29, q.2, a.1, col.penultima⁴⁹⁴; Navarro, cap.16, n^o 12⁴⁹⁵; Ludovicus Lopez 1 p. *Instructorii*, cap.75⁴⁹⁶; Petrus Ledesma, q.43 de matrimonio, a.1, dub.ultimo.

Et ratio est quia ut sponsi per verba de futuro habent iam inchoatum matrimonium ita licet illis inchoatio quaedam actus matrimonii et delectationis illius praesertim quia sic melius fovetur amor in ordine ad matrimonium.

Sed aliqui cum Pedraza in 6^o praecepto, in § 5, existimant oscula et amplexus propter delectationem esse peccatum mortalem inter desponsatos de futuro. Probant quia illis non licet praesens copula, sed licebit quando contraxerint matrimonium de praesenti: ergo non licet praesens inchoatio copulae quae essentialiter ordinatur ad illam. Et confirmant exemplis. Sed RESPONDEO negando consequentiam quia eo ipso quod inchoatus sit contractus matrimonii per obligationem de futuro, ex natura rei data est iam de praesenti maior facultas ad actiones quae ordinantur ad copulam; quare illa facultas amplexandi et osculandi propter delectationem non pendet ex licentia praesentis copulae.

Notandum tamen est sponsatis de futuro non licere per oscula et amplexus fovere delectationem de actu matrimonii cogitato, ut supra, dubio 14. Praeterea, alii tactus magis oculi peccatum mortale sunt in desponsatis de futuro quia proximius pertinent ad usum matrimonii.

⁴⁹² THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.154, a.4: ed.leon.10, 228.

⁴⁹³ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226v.

⁴⁹⁴ D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum*, tom.2, d.29, q.2, a.1: Salamanca, 1560, p.169.

⁴⁹⁵ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.16, n.12: Venecia, 1584, p.295.

⁴⁹⁶ LUDOVICUS LOPEZ, O.P., *Instructorium conscientiae*, c.75: Salamanca 1592, p.185.

Dubitatur 23

Utrum femina quae sentit se tangi a viro libidinose
teneatur resistere

Quod dictum fuerit de femina cui frequentius hoc contingit dictum sit etiam de viro si tangatur a femina.

1^o constat peccare mortaliter femina quae gaudet se invitam ab alio tangi tactu qui sit peccatum mortale idque non solum si placeat viri peccatum sed etiam si displiceat peccatum viri et solum placeat delectatio resultans ex violento tactu ut explicatum est supra, dubio 17 circa complacentiam in pollutione seu delectatione quae contingit alicui contra voluntatem. [f.311]

2^o. Femina quae scit se tangi libidinose debet sub mortali resistere. Ita D. Antoninus, 2 p., tit.5, cap.1, § 9⁴⁹⁷; et ex Archidiacono Sylvester, *delectatio*, q.7⁴⁹⁸; Caietanus, 2.2, q.154, a.4 prope finem⁴⁹⁹; Gerson, 2 p., in opusculo tripartito 1.p. cap.13 fine⁵⁰⁰, alphabeto 30 fine; Rosela, *delectatio*, n^o 3; Armilla, *impudicitia*, n^o 2⁵⁰¹; Margarita confessorum, in 6^o praecepto, prope finem, folio 90⁵⁰²; Medina, q.74, a.8, dubio 5⁵⁰³; Ludovicus Lopez, 1^a p. instructorii, cap.75⁵⁰⁴.

PROBATUR, quia digni sunt morte non tantum qui agunt mala sed etiam qui consentiunt facienti, ad Romanos 1, et femina in eo

⁴⁹⁷ ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.5, cap.1, § 9; Lyon, t.2 (1529), f.108a.

⁴⁹⁸ *Summa Sylvestrina*, Delectatio 7: p.239b.

⁴⁹⁹ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.154, a.4: ed.leon.10, 228b.

⁵⁰⁰ IOANNES GERSON, *Opusculum tripartitum*, 1 p., consideratio 12: Paris, t.2, 1606, col.294.

⁵⁰¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*: Barcinonae 1566, fol.226v.

⁵⁰² *Margarita confessorum*, Hispali 1526, fol.90.

⁵⁰³ B. DE MEDINA, *Expositio in Primam Secundae Divi Thomae*, q.74, a.8, dub.5: Venecia 1602, p.394a.

⁵⁰⁴ LUDOVICUS LOPEZ, O.P., *Instructorium conscientiae*, c.75: Salamanca 1592, p.185.

casu si non resistit non solum consentit sed etiam videtur moraliter cooperari exhibendo materiam quam subtrahere tenetur: tenetur autem lege charitatis ad vitandum peccatum proximi quantum possit et praeterea lege temperantiae ne ipsa femina afficiatur delectatione ex se ordinata ad copulam.

3°. Hanc doctrinam merito limitant Sylvester, Armilla et Medina citati, ut teneatur resistere si potest sine scandalo, et alioqui non teneatur. Et praeterea dicunt non esse peccatum mortale permittere tactus quando dubitatur an mala intentione fiant et ipsi ex se non sunt aperte impudici. Hanc autem doctrinam magis explicat Caietanus, 2.2, citata, sequentibus conclusionibus.

DICO, igitur 4°: *Semper est peccatum mortale permittere se tangi tactibus qui sunt aperte libidinosi, ut tactibus pudendorum aut femorum aut furtivis osculis.* Ita Caietanus, 2.2, citata et colligitur ex aliis Doctoribus citatis.

Et RATIO est quia in hoc casu a resistantia non excusat nec dubium de libidine nec scandalum, quia magis scandalizantur qui non viderint resistantiam si videant tactus. Imo quamvis tactus non videantur ab aliis tenetur femina resistere licet sequatur infamia aggressoris, ut infra, n° 7.

DICO 5°: *Si tactus tales sint et in talibus circumstantiis ut possint licite fieri vel qui oscula et amplexus inter consanguineos, praesertim in profectione et reditu vel manum porrigere aut simile secundum consuetudinem patriae, tunc non erit peccatum mortale tactus non repellere quamdiu non constat virum mala intentione tangere quamvis sint sufficiens ratio dubitandi de illius mala intentione.*

Ita Sylvester et Medina citati in conclusione 2 et Armilla *osculum*⁵⁰⁵. Et ratio est quia in dubio non tenetur praesumere contra proximum. Et praeterea femina cooperatur actui exteriori qui ut ab ipsa procedit honestus est. [f.311v]

⁵⁰⁵ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla* :
Barcinonae 1566, fol.342.

DICO 6°: *Idem tactus, si constet fieri mala intentione repellendi erunt si possunt sine scandalo, si autem timetur scandalum et nota circumstantium qui existimant fieri bona intentione non sunt repellendi*, ut ait Caietanus, Armilla et Medina, Sylvester citati in conclusione 2. Et ratio est quia praeponderat proximi famam ad quam ius habet quod non possumus violare ad impediendum eius peccatum quando non peccat contra iustitiam. Nota tamen Caietanum prima facie videri excusari a mortali feminam quae non repellit tales tactus etiamsi possit sine scandalo, quod non videtur verum propter dicta in conclusione 2.

7°. Si petas resistentiae modum, femina tenetur clamare aut per vim resistere aut quavis alia ratione commoda, ut docet Caietanus, 2.2, q.154, a.4 prope finem⁵⁰⁶; Gerson, 2 p., Opusculum tripartitum, 1 p., cap.13⁵⁰⁷, alphabeto 38 fine; quod melius explicat Navarro, cap.16, n° 13⁵⁰⁸. Etenim nimia videtur esse indulgentia Soti 5 de iustitia, q.1, a.5 ad 3⁵⁰⁹, quam tamen impugnare non est praesentis instituti. Insuper magis tenetur et ad maiorem resistentiam femina cui imminet periculum proximum consentiendi in aliquod mortale delectationis vel desiderii vel pollutionis, et quanto tactus fuerint magis impudici maior est obligatio resistentiae. Ratio autem est quia femina habet ius et obligationem se defendendi. Quod si opprimitur iniuste, per vim potest ad sui defensionem laedere aggressoris famam et tenetur sicut ad defendendam familiam a latronibus.

Hinc sequitur feminam licite occidere aggressorem si aliter non potest suam integritatem et honorem defendere, sed non tenetur ad illum occidendum, de quibus quaestionibus non est dicendum

⁵⁰⁶ THOMAS DE VIO, *Commentarii ad Summam Sti Thomae*, 2.2., q.154, a.4: ed.leon.10, 228b.

⁵⁰⁷ IOANNES GERSON, *Opusculum tripartitum*, 1 p., consideratio 12: Paris, t.2, 1606, col.294.

⁵⁰⁸ M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessariorum et poenitentium*, c.16, n.13: Venecia, 1584, p.295.

⁵⁰⁹ D. SOTO, OP, *De iustitia et iure*, l.5, q.1, a.5 ad 3: Salamanca, 1569, págs.385.

in praesenti. Si tamen aliquando contigerit prudenter timeri infamiam feminae ex clamore vel aliqua resistentia vel timeretur aliqua nota ratione cuius difficilius esset matrimonio collocari vel timerentur graves inimicitias familiarum tunc femina non teneretur se defendere .

8°. Denique peccatum mortale est delectari de cogitatis aspectibus et tactibus quos exercere esset peccatum mortale, quamvis deesset propositum exercendi illos. Ut docet Caietanus, *delectatio*, p.2, § *quartum est*⁵¹⁰; Armilla, ibi, n° 3⁵¹¹; Sylvester, q.5⁵¹²; Navarro, cap.16, n° 11⁵¹³, et aperte colligitur ex dubio 1 et 2 huius disputationis.

(*Sigue el comentario a la Q. 75
De causis peccatorum in genere*)

⁵¹⁰ THOMAS DE VIO, *Summula Caietana*, "delectatio morosa" § *quartum est*: Lugduni 1529.

⁵¹¹ BARTHOLOMAEI FUMI PLACENTINI, O.P., *Summa sive Aurea Armilla*, Barcinonae 1566, fol.111v.

⁵¹² *Summa Sylvestrina*, Delectatio 4: Lyon 1593, parte I, p.239.

⁵¹³ MARTINUS DE AZPILCUETA, *Enchiridion sive Manuale confessorum et poenitentium*, c.16, n.11: Venecia 1584, p.295.